


HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)
8 June, 1882.



Titus Maccius

T. MACCI PLAUTI

AMPHITRUO

AD

CODICUM PALATINORUM FIDEM

CUM

POTISSIMA VARIETATE LECTIONIS

ET COMMENTARIIS

EDIDIT

Friedrich Wilhelm Holtze

FRIDERICUS GULIELMUS HOLTZIUS.

LIPSIAE,

APUD CAROLUM TAUCHNITIUM.

1846.

PRAEFATIO.

Nova lux oborta est Plauto, ex quo primum Ritschelius codicum et editionum Plauti familias accurate distinxit et iterum ad codd. Palatinos a Gronovii aetate ne dicam neglectos, sed certe a plerisque non pluris aestimatos quam secundae familiae codices, hominum doctorum animos convertit et ipse unam fabulam Plautinam, Bacchides, ad horum codd. fidem constituit. Sed ne quid superesset, quod desideraretur ad Plautum, quoad eius fieri potest, ad pristinam integritatem restituendum, profectus est etiam in Italiam, ubi non solum multos alios codices, sed maxime etiam veterem Ambrosianum palimpsestum, qui instar ἀρχετύπου nobis esse debet, summa cum diligentia inspexit, quibus tot tantisque subsidiis adiutus, quot ante eum fortasse nemo, pollicitus est se totum Plautum editurum. Quare Ladewigius temere facturum et aliquid inutile suscepturum affirmavit, quisquis, anteaquam Ritschelii editio in publicum prodisset, Plautum edendum sibi proponeret, quod tamen viro docto non omni ex parte concedi potest. Primum enim discrimen

est faciendum inter eas fabulas, quae in cod. Ambros. extant et eas quae ibi desiderantur, in quarum numero est etiam Amphitruo. Deinde autem iam pridem ab Hermanno et Ritschelio regulae ac praecepta constituta sunt, quae in verbis Plautinis restituendis sequenda sint, quorum ope, adiuti praeterea multis quae ex cod. Ambros. aliisque bonae notae vel a Maio vel potissimum a Ritschelio multis locis enotata sunt, si non omnia; at multum certe praestare poterimus. Quid quod ipse Ritschelius eas fabulas, quae non extant in palimpsesto, secundum praecepta ac regulas, quae ex reliquis repetendae et derivandae sunt, emendandas esse censet? Iam vero anteaquam Ritschelius thesauros suos publici iuris fecerit, in iis fabulis, quae desunt in cod. Ambros., etiamnum pro fundamento quasi unicuique qui verba poetae restituenda sibi proposuit, sunt codd. Palatt., quorum lectiones summa cum diligentia nobis enotavit Pareus, cum quibus tamen conferendae sunt Gruteri adnotationes, qui haud raro ea, in quibus Pareus erravit, arguit et veriora iis affert.

Haec habeo quae contra Ladewigium dicam. Sed ex altera tamen parte ei concedendum est, sine Ritschelii subsidiis neminem ita Plauti fabulam edere posse, ut nihil amplius ad verba poetae recte constituenda desideretur. Sic admodum cuperem ut praeter varietatem lectionis, quam Palatini codices exhibent, certe etiam Orsiniani et Basileensis, quos Ritschelius Romae in Vaticano inspexit (de ceteris taceo, quoniam qualis notae sint non cognitum habeo), mihi suppetisset. Hi ambo enim codices eiusdem sunt notae atque vetus codex Palatinus, et ita quidem, ut non ab eo pendeant, sed ut omnes tres fortasse ex eodem fonte principali manaverint. Sed quemadmodum saepe est in philologia, ut non

id, quod omnibus numeris sit absolutum, consequi possis, sed meliora tantum iis quae antea prolata sunt, ita etiam mihi usu venit in hac fabula Plautina edenda. Sufficit mihi nunc verba Plautina ad codd. Pall., maxime veteris codicis fidem quam accuratissime restituere, ut idem experiar in Amphitruone edenda faciendum, quod iam Ritschelius in Bacchidibus, Jacobus in Epidico consecuti sunt, quamquam probe scio Ritschelii editione multa de meis iterum mutatum et emendatum iri.

Sed ut viam monstrem, quam ingressus sim in verbis poetae conformandis, sic fere versatus sum. Pro fundamento quasi habui editionem vulgatam Gronovio—Ernestianam, utpote quae maxime e codd. Pall. prodierit. Deinde inspexi quae Pareus et Gruterus enotavissent de lectione codd. Pall. eaque ad verba Plautina constituenda, quoad eius salva ratione et versuum mensura fieri posset, in usum meum converti, cum quibus deinde comparavi quae recentiores editores, maxime Lindemannus, in medium protulerunt, quibus, si mihi ad consilium meum apta visa sunt, usus sum. Praeterea usus sum iis, quae viri de Plauto meritissimi God. Hermannus, Ritschelius, C. L. Schneiderus, Lingius, Kampmannus, Heineckius, Beckerus, Rostius, Ladewigius, Fleckeisenius, Balbachius, alii variis locis de Plauto, maxime de singulis Amphitruonis versibus adnotaverunt, et tum demum, quum haec omnia non sufficerent, ad coniecturas confugi. Nonnullos tamen locos, quorum emendatio nondum extra omnem dubitationem posita esse videretur, asterisco (*) apposito notavi. Etiam in orthographia singulorum vocabulorum accurate codicem veterem sequendum putavi, etiam ubi hic ipse sibi non constat, qua-

propter scripsi modo *nunciare*, modo *nuntiare*, modo *voltis*, modo *vultis*, modo *ei*, modo *hei*, modo *pro*, modo *proh*, modo *afficere*, modo *adficere* et quae sunt huius generis similia, ita ut saepe in versibus admodum inter se propinquis scribendi ratio varietur, non quod Plautum ipsum modo sic, modo aliter scripsisse putem, sed quod ante omnia summa fide diplomatica, quae dicitur, singula quaeque in omnibus Plauti comoediis restituenda esse existimo, anteaquam tuto discerni possit, quomodo unumquodque vocabulum constanter scripserit. In nonnullis tamen codicibus nullam fidem habendam esse putavi, sic utrum scribendum sit *mihi* an *mi*, pendet ex uniuscuiusque versus mensura; ubi codd. *dii*, *diis* exhibent, semper reposui *di*, *dis* et quae sunt huius generis reliqua.

Adnotationum maxima pars spectat ad criticam, minor ad explicationem verborum. In qua re ita versatus sum, ut ad singulos versus afferrem prius potissima eorum quae Pareus in ed. secunda de lectionibus codd. Pall. et Gruterus, cuius adnotationibus quasi pro supplemento Parei nobis utendum est, quoniam haud raro rectiora et accuratiora quam Pareus affert, adnotavissent, ut lectoribus fundamentum ante oculos poneretur, quo nisus verba scriptoris constituere conatus sum et ut vestigia quasi persequi possent quibus ingressus sum in emendanda hac fabula. Accedit quod editio secunda Parei est inter libros rarissimos, quapropter nemini lectorum ingratum vel supervacaneum aliquid me fecisse arbitror. His addidi deinceps potissimam lectionum varietatem singularum Plauti editionum, maxime recentiorum, neque tamen eam integram, quo minime opus esse putavi, praeterea quae ipse habebam quae dicerem spectantia ad

rationem criticam singulorum locorum. Tum demum sequuntur adnotationes ad explicanda verba spectantes, in quibus item semper usus sum iis quae ab aliis essent allata, quae tamen, ut chartae parcerem, non omnia repetere volui, quoniam eorum libri in omnium manibus sunt, in quibus ea invenire licet. Ceterum tantum difficiliores locos explicavi atque eos, in quibus, quomodo recte explicandi essent, dubium esse posset. Multa praeterea addidi ad grammaticam et maxime ad usum loquendi Plautinum spectantia.

Scribebam Numburgi XII. Kal. Aug. a. CIƆIƆCCCXLVI.

AMPHITRUO.



FABULAE PERSONAE.

SOSIA servos.
JUPPITER deus.
AMPHITRUO dux militaris.
BLEPHARO arbiter.
MERCURIUS prologus.
ALCMENA uxor Amphitruonis.
BROMIA ancilla.

ARGUMENTUM I.

In faciem versus Amphitruonis Juppiter,
Dum bellum gereret cum Telebois hostibus,
Alcmenam uxorem cepit usurariam.
Mercurius formam Sosiae servi gerit
Absentis; his Alcumena decipitur dolis.
Postquam rediere veri Amphitruo et Sosia,
Uterque deluduntur in mirum modum.
Hinc iurgium, tumultus uxori et viro,
Donec cum tonitru voce missa ex aethere
Adulterum se Iuppiter confessus est.

ARGUMENTUM II.

Amore captus Alcumenas Iuppiter
Mutavit sese in eius formam coniugis,
Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus;
Habitu Mercurius ei subservit Sosiae,
Is advenientis servom ac dominum frustra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo atque invicem
Raptant pro moechis; Blepharo captus arbiter
Uter sit non quit Amphitruo decernere.
Omnem rem noscunt; geminos illa enititur.

PROLOGUS.

MERCURIUS.

Ut vos in vostris vultis mercimoniis
Emundis vendundisque me laetum lucris
Adficere atque adiuvare in rebus omnibus,
Et ut res rationesque vostrorum omnium
Bene expedire voltis peregrique et domi
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro
Quasque incepistis res quasque inceptabitis,
Et uti bonis vos vostrosque omnis nunciis
* Me affícere vóltis, éa afferam, ea ut nunciem,
Quae maxime in rem vestram communem sient,
(Nam vos quidem id iam scitis concessum et datum
Mi esse ab dis aliis, nuntiis praesim et lucro),
Haec ut me voltis adprobare, adnitier,
Lucrum ut perenne vobis semper subpetat,
Ita huic facietis fabulae silentium
Itaque aequi et iusti hic eritis omnes arbitri.
Nunc cuius iussu venio et quamobrem venerim,
Dicam simulque ipse eloquar nomen meum.
Iovis iussu venio; nomen Mercuri est mihi.
Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi pro imperio, vobis quod dictum foret,
Scibat facturos, quippe qui intellexerat
Vereri vos se et metuere, ita ut aequum est, Iovem;
Verum profecto hoc petere me precario
A vobis iussit leniter dictis bonis.
Etenim ille, quoius huc iussu venio, Iuppiter
Non minus quam vostrum quivis formidat malum;
Humana matre natus, humano patre
Mirari non est aequum, sibi si praetimet.

Atque ego quoque etiam, qui Iovis sum filius,
Contagione mei patris metuo malum.
Propterea pace advenio et ad vos adfero.
Iustam rem et facilem esse oratam a vobis volo,
Nam iuste ab iustis iustus sum orator datus.
Nam iniusta ab iustis impetrari non decet,
Iusta autem ab iniustis petere insipientia'st,
Quippe illi iniqui ius ignorant neque tenent.
Nunc iam huc animum omnes quae loquar advortite.
Debetis velle quae velimus; meruimus
Et ego et pater de vobis et republica.
Nam quid ego memorem, ut alios in tragoediis
Vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam, commemorare quae bona
Vobis fecissent? Quis benefactis meus pater,
Deorum regnator, architectus omnibus.
Sed mos illi nunquam fuit patri meo,
Ut exprobraret quod bonis faceret boni.
Gratum arbitratur esse id a vobis sibi
Meritoque vobis bona se facere quae facit.
Nunc quam ob rem oratum huc veni, primum proloquar,
Post argumentum huius eloquar tragoediae.
Quid contraxistis frontem? quia tragoediam
Dixi futuram hanc? Deus sum, commutavero
Eandem hanc, si voltis; faciam, ex tragoedia
Comoedia ut sit omnibus iisdem versibus.
Utrum sit, an non, voltis? sed ego stultior,
Quasi nesciam vos velle, qui divus siem.
Teneo quid animi vostri super hac re siet.
Faciam ut commista sit tragicocomoedia;
Nam me perpetuo facere ut sit comoedia,
Reges quo veniant et di, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic servus quoque partes habet,
Faciam, sit proinde ut dixi tragicomoedia.
Nunc hoc me orare a vobis iussit Iuppiter,
Ut conquisitores singula in subsellia

Eant per totam caveam spectatoribus,
Si cui fautores delegatos viderint,
Ut iis in cavea pignus capiantur togae.
* Sive qui ambissent palmam histrionibus,
Seu cuiquam artifici, seu per scriptas literas,
Sive qui ipse ambisset, seu per internuntium
Sive adeo aediles perfidiose quoi duint,
Sirempse legem iussit esse Iuppiter,
Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.
Virtute dixit vos victores vivere,
Non ambitione neque perfidia. qui minus
Eadem histrioni sit lex, quae summo viro?
Virtute ambire oportet, non favitoribus.
Sat habet favitorum semper, qui recte facit,
Si illis fides est, quibus est ea res in manu.
Hoc quoque etiam mihi ille in mandatis dedit,
Ut conquisitores fierent histrionibus,
Qui sibi mandassent delegati ut plauderent,
Quive, quo placeret alter, fecisset, minus,
Eius ornamenta et corium uti conciderent.
Mirari nolim vos, quapropter Iuppiter
Nunc histriones curet. ne miremini.
Ipse hanc acturu'st Iuppiter comoediam.
Quid admirati estis? quasi vero novum
Nunc proferatur, Iovem facere histrioniam.
Etiam histriones anno cum in prosceaio hic
Iovem invocarunt, venit, auxilio iis fuit.
Praeterea certo prodit in tragoedia.
Hanc fabulam, inquam, hic Iuppiter hodie ipse aget,
Et ego una cum illo. Nunc vos animum advortite,
Dum huius argumentum eloquar comoediae.
Haec urbs est Thebae; in illisce habitat aedibus
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre,
Quicum Alcumena est nupta Electri filia.
Is nunc Amphitruo praefectu 'st legionibus,
Nam cum Telebois bellum est Thebano poplo.

Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum,
Gravidam Alcumenam fecit uxorem suam.
Nam ego vos novisse credo iam ut sit pater meus,
Quam liber harum rerum multarum siet
Quantusque amator siet, quod complacitum est semel.
Is amare occepit Alcumenam clam virum
Usuramque eius corporis cepit sibi
Et gravidam fecit itidem compressu suo.
Nunc, de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Utrinque est gravida, et ex viro, et ex summo Iove.
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat,
Et haec ob eam rem nox est facta longior,
Dum cum illa, quacum volt, voluptatem capit.
Sed ita assimulavit se quasi Amphitruo siet.
Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quod ego huc processi sic cum servili schema,
Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam,
Propterea ornatus in novum incessi modum.
Nam meus pater intus nunc en eccum Iuppiter
In Amphitruonis vortit sese imaginem
Omnesque eum esse censent servi qui vident,
Ita versipellem se facit, quando lubet.
Ego servi sumpsi Sosiae mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abivit hinc in exercitum,
Ut praeservire amanti meo possem patri
Atque ut ne, qui essem, familiares quaererent,
Versari crebo hic cum viderent me domi.
Nunc cum esse credent servum et conservum suum,
Haud quisquam quaeret qui siem aut quid venerim.
Pater nunc intus suo animo morem gerit,
Cubat complexus cuius cupiens maxume est.
Quae illi ad legionem facta sunt, memorat pater
Meus Alcumenae. illa illum censet virum
Suum esse, quae cum moecho est. ibi nunc meus pater
Memorat legiones hostium ut fugaverit,
Quo pacto donis sit donatus plurimis.

Ea dona, quae illic Amphitruoni sunt data,
Abstulimus; facile meus pater quod volt facit.
Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu
* Et servus cuius ego hanc fero imaginem.
Nunc internosse ut nos possitis facilius,
Ego has habebo usque in petaso pinnulas;
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso; id signum Amphitruoni non erit.
Ea signa nemo horum familiarium
Videre poterit, verum vos videbitis.
Sed Amphitruonis illic est servus Sosia,
A portu illic nunc cum laterna advenit.
Abigam iam ego illum advenientem ab aedibus.
Adest, ferit. Operae pretium hic spectantibus
Iovem et Mercurium facere histrioniam.

SOSIA. MERCURIUS.

SOSIA.

Qui me alter est audacior homo aut qui confidentior?
Iuventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint?
Inde cras quasi e promptaria cella depromar ad flagrum,
Nec caussam liceat dicere mihi neque in hero quicquam auxili
Siet nec quisquam sit quin me omnes esse dignum deputent.
Ita quasi incudem me miserum homines
Octo validi caedant itaque
Peregre adveniens
Publicitus hospitio accipiar.
Haec heri immodestia
Coegit, me qui hoc noctis a portu
Ingratiis excitavit; nonne idem
Hoc luci me mittere potuit?
Opulento homini hoc servitus dura est,
Hoc magis miser est divitis servos.
Noctesque diesque assiduo satis superque est,

Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.
Ipse dominus dives operis et laboris expers
Quodcunque homini accidit libere, posse retur,
Aequom esse putat, non reputat laboris quid sit,
Nec aequom anne iniquom imperet, cogitabit.
Ergo in servitute expetunt multa iniqua,
Habendum et ferendum hoc onust cum labore.

MERCURIUS.

Satiust me queri illo modo servitutem;
Hodie qui fuerim liber, eum nunc potivit
Pater servitutis, hic, qui verna natust,
Queritur.

SOSIA.

Sum vero verna verbero. Nunc vero mi in mentem fuit
Dis advenientem gratias pro meritis agere atque alloqui
Ne illi edepol si merito meo referre studeant gratias,
Aliquem hominem allegent qui mi advenienti os occillet probe,
Quoniam bene quae in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.

MERCURIUS.

Facit ille quod volgo haud solent, ut, quid se sit dignum, sciat.

SOSIA.

Quod nunquam opinatus fui neque alius quisquam civium
Sibi eventurum, ut salvi potiremur domum
Victores; victis hostibus legiones reveniunt domum
Duello extincto maxumo atque internecatis hostibus;
Quod multa Thebano populo acerba obiecit funera,
Id vi et virtute militum victum atque expugnatum oppidum est
Imperio atque auspicio heri mei Amphitruonis maxume.
Praeda atque agro adoreaque affecit populares suos
Regique Thebano Creoni regnum stabilivit suum.
Me a portu praemisit domum, ut haec nuntiem uxori suae,
Ut gesserit rem publicam ductu, imperio, auspicio suo.
Ea nunc meditabor quo modo dicam, quum illo advenero.
Si dixero mendacium, solens meo more fecero.
Nam quom pugnabant maxume, ego fugiebam maxume.

Verum quasi adfuerim tamen simulabo atque audita eloquar.
Sed quo modo et verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipse mecum etiam volo hic meditari. Sic hoc proloquar:
Principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus,
Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes.
Eos legat; Telebois iubet sententiam ut dicant suam.
Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere,
Si quae asportassent, reddere, se exercitum extemplo domum
Reducturum, abituros agro Argivos, pacem atque otium
Dare illis; sin aliter sient animati neque dent quae petat,
Sese igitur summa vi virisque eorum oppidum expugnassere.
Haec ubi Telebois ordine iterarunt quos praefecerat
Amphitruo, magnanimi viri freti virtute et viribus
Superbe, nimis ferociter legatos nostros increpant,
Respondent bello se et suos tutari posse, proinde uti
Propere de finibus suis exercitus deducerent.
Haec ubi legati pertulere, Amphitruo castris illico
Producit omnem exercitum, contra Teleboae ex oppido
Legiones educunt suas nimis pulchris armis praeditas.
Postquam utrinque exitum est maxuma copia,
Dispertiti viri, dispertiti ordines,
Nos nostras more nostro et modo instruximus legiones.
Item hostes contra legiones suas instruunt.
Deinde utrique imperatore' in medium exeunt,
Extra turbam ordinum colloquuntur simul.
Convenit, victi utri sint eo praelio,
Urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent.
Postquam id actu' est, tubae utrinque contra canunt,
Consonat terra, clamorem utrinque efferunt.
Imperator utrinque hinc et illinc Iovi
Vota suscipere, hortari exercitum;
Pro se quisque id quod quisque et potest et valet,
Edit, ferro ferit, tela frangunt, boat
Caelum fremitu virum; ex spiritu et anhelitu
Nebula constat, cadunt volneris vi et virum.
Denique ut voluimus, nostra superat manus,

Hostes crebri cadunt, nostri contra ingruunt,
Vicimus vi feroces.
Sed in fugam tamen nemo convortitur,
Nec recedit loco quin statim rem gerat;
Animam omittunt priusquam loco demigrent,
Quisque, ut steterat, iacet obtinetque ordinem.
Hoc ubi Amphitruo conspicatust herus,
Illico equites iubet dextera inducere.
Equites parent citi, ab dextera maxumo
Cum clamore involant, impetu alacri inruunt,
Foedant et proterunt hostium copias
Iure iniustas.

MERCURIUS.

Nunquam etiam quicquam adhuc verborum est prolocutus perperam,
Namque ego fui illic in re praesenti et meus, quom pugnatum est, pater.

SOSIA.

Perduelles penetrant se in fugam; ibi nostris animus additu'st.
Vortentibus Telebois telis complebantur corpora,
Ipsusque Amphitruo regem Pterelam suapte obtruncavit manu.
Haec illic est pugnata pugna usque a mane ad vesperum;
Hoc adeo hoc commemini magis, quia illo die inpransus fui.
Sed praelium id tandem diremit nox interventu suo.
Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes,
Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.
Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos
In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.
Post ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea est,
Qui Pterela potitare rex solitus est. haec sic dicam herae.
Nunc pergam heri imperium exequi et me domum capessere.

MERCURIUS.

Attat, illic huc ituru'st; ibo ego illi obviam.
Neque ego huc hominem hodie ad aedis has sinam unquam accedere.

Quando imago est huius in me, certum est hominem eludere.
Et enim vero quoniam formam cepi huius in me et statum,
Decet et facta moresque huius habere me similes item.
Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum,
Atque hunc telo suo sibi, malitia, a foribus pellere.
Sed quid illuc est? Caelum aspectat; observabo quam rem agat.

SOSIA.

Certe edepol scio, si aliud quicquam est quod credam aut certo sciam,
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormisse ebrium.
Nam neque se septentriones quoquam in coelo commovent,
Neque se luna quoquam mutat atque uti exorta est semel;
Nec iugulae neque vesperugo neque vergiliae occidunt.
Ita statim stant signa neque nox quoquam concedit diei.

MERCURIUS.

Perge nox, ut occoepisti, gere patri morem meo;
Optumo optume optumam operam das, datam pulchre locas.

SOSIA.

Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem;
Eam quoque edepol etiam multo haec vicit longitudine.
Credo edepol equidem dormire Solem atque appotum probe.
Mira sunt nisi invitavit sese in coena plusculum.

MERCURIUS.

Ain' vero, verbero? deos esse tui similes putas?
Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer,
Accipiam; modo sis veni huc, invenies infortunium.

SOSIA.

Ubi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant?
Haec nox scita'st exercendo scorto conducto male.

MERCURIUS.

Meus pater nunc pro huius verbis recte et sapienter facit,
Qui complexus cum Alcumena cubat amans, animo obsequens.

SOSIA.

Ibo, ut herus quod imperavit, Alcumenae nuntiem.
Sed quis hic est homo, quem ante aedeis video hoc noctis?
Non placet.

MERCURIUS.

Nullus est hoc meticulosus aeque.

SOSIA.

quem? in mentem venit,
Illic hoc homo denuo volt pallium detexere.

MERCURIUS.

Timet homo; deludam ego illum.

SOSIA.

perii! dentes pruriunt.
Certe advenientem me hic hospitio pugnae accepturus est.
Credo misericors est; nunc propterea quod me meus herus
Fecit ut vigilarem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam.
Oppido interii. obsecro hercle quantus et quam validus est!

MERCURIUS.

Clare advorsum fabulabor, hic auscultet quae loquar.
Igitur magis modum in maiorem in sese concipiet metum.
Agite pugni. iam diu'st quod ventri victum non datis.
Iam pridem videtur factum, heri quod homines quattuor
In soporem collocastis nudos.

SOSIA.

formido male
Ne ego hic nomen meum commutem et Quintus fiam e Sosia.
Quattuor viros sopori se dedisse hic autumat;
Metuo ne numerum augeam illum.

MERCURIUS.

em! nunc iam ergo; sic olo.

SOSIA.

Cingitur, certe expedit se.

MERCURIUS.

non feret quin vapulet.

SOSIA.

Quis homo?

MERCURIUS.

quisquis homo huc profecto venerit, pugnos edet.

SOSIA.

Apage, non placet me hoc noctis esse; coenavi modo.
Proin tu istam coenam largire, si sapis, esurientibus.

MERCURIUS.

Haud malum huic est pondus pugno.

SOSIA.

perii! pugnos ponderat.

MERCURIUS.

Quid si ego illum tractim tangam ut dormiat?

SOSIA.

Servaveris.
Nam continuas has tris noctes pervigilavi.

MERCURIUS.

pessumum est
Facinus; nequiter ferire malam male discit manus.
Alia forma oportet esse quem tu pugno legeris.

SOSIA.

Illic homo me interpolabit meumque os finget denuo.

MERCURIUS.

Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.

SOSIA.

Mirumne? hic me quasi muraenam exossare cogitat.
Ultro istuc qui exossat homines. perii! si me aspexerit.

MERCURIUS.

Olet homo quidam malo suo.

SOSIA.

ei! numquam ego obolui.

MERCURIUS.

Atque haud longe abesse oportet; verum longe hinc abfuit.

SOSIA.

Illic homo superstitiosus est.

MERCURIUS.

gestiunt pugni mihi.

SOSIA.

Si in me exerciturus, quaeso in parietem ut primum domes.

MERCURIUS.

Vox mi ad aures advolavit.

SOSIA.

ne ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli; volucrem vocem gestito.

MERCURIUS.

Illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo.

SOSIA.

Non equidem ullum habeo iumentum.

MERCURIUS.

onerandus est pugnis probe.

SOSIA.

Lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum, etiam nunc nauseo.
Vix incedo inanis; ne ire posse cum onere existumes.

MERCURIUS.

Certe enim hic nescio quis loquitur.

SOSIA.

salvos sum, non me videt.
Nescio quem loqui autumat, mihi certo nomen Sosia est.

MERCURIUS.

Hínc enim mihi dextérā vox auris, út videtur, vérberat.

SOSIA.

Metuo vocis ne vice hodie hic vapulem, quae hunc verberat.

MERCURIUS.

Optume eccum incedit ad me.

SOSIA.

timeo, totus torpeo.
Non edepol nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget,
Neque miser me commovere possum prae formidine.
Ilicet, mandata heri perierunt una et Sosia.
Verum certum est confidenter hominem contra adloqui,
Igitur qui possim videri huic fortis, abstineat manum.

MERCURIUS.

Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?

SOSIA.

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus?

MERCURIUS.

Servos esne an liber?

SOSIA.

utcumque animo collibitum est meo.

MERCURIUS.

Ain' vero?

SOSIA.

aio enim vero.

MERCURIUS.

verbero.

SOSIA.

mentire nunc.

MERCURIUS.

At iam faciam ut verum dicas dicere.

SOSIA.

quid eo est opus?

MERCURIUS.

Possum scire quo profectus, quoius sis aut quid veneris?

SOSIA.

Huc eo, heri sum servos. nunquid nunc es certior?

MERCURIUS.

Ego tibi istam hodie, sceleste, comprimam linguam.

SOSIA.

haud potes;
Bene pudiceque asservatur.

MERCURIUS.

pergin' argutarier?
Quid apud hasce aedis negoti est tibi?

SOSIA.

imo quid tibi'st?

MERCURIUS.

Rex Creo vigiles nocturnos singulos semper locat.

SOSIA.

Bene facit; quia nos eramus peregri, tutatust domi;
At nunc abi sane, advenisse familiares dicito.

MERCURIUS.

Nescio quam tu familiaris sis; nisi actutum hinc abis,
Familiaris accipiere faxo haud familiariter.

SOSIA.

Hic, inquam, habito ego atque horunc servos sum.

MERCURIUS.

at scin quomodo?
Faciam ego hodie te superbum, ni actutum —

SOSIA.

quonam modo?

MERCURIUS.

Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero.

SOSIA.

Quin med esse huius familiae familiarem praedico.

MERCURIUS.

Vide sis quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis.

SOSIA.

Tun' domo prohibere peregre me advenientem postulas?

MERCURIUS.

Haeccine tua domu'st?

SOSIA.

ita, inquam.

MERCURIUS.

quis herus est igitur tibi?

SOSIA.

Amphitruo qui nunc praefectu' est Thebanis legionibus,
Quicum nupta est Alcumena.

MERCURIUS.

quid ais? quid nomen tibi est?

SOSIA.

Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.

MERCURIUS.

Ne tu istic hodie malo tuo compositis mendaciis
Advenisti, audaciai columen, consutis dolis.

SOSIA.

Imo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.

MERCURIUS.

At mentiris etiam, certo pedibus, non tunicis venis.

SOSIA.

Ita profecto.

MERCURIUS.

Nunc profecto vapula ob mendacium.

SOSIA.

Non edepol volo profecto.

MERCURIUS.

At pol profecto ingratiis.
Hoc quidem profecto certu'st, non est arbitrarium.

SOSIA.

Tuam fidem obsecro!

MERCURIUS.

tun' te audes Sosiam esse dicere,
Qui ego sum?

SOSIA.

perii!

MERCURIUS.

parum etiam, praeut futurum est, praedicas.
Quoius nunc es?

SOSIA.

tuus, nam pugnis usu fecisti tuum.
Pro fidi Thebani cives!

MERCURIUS.

etiam clamas, carnufex?
Eloquere, quid venisti?

SOSIA.

ut esset quem tu pugnis caederes.

MERCURIUS.

Cuius es?

SOSIA.

Amphitruonis, inquam, Sosia.

MERCURIUS.

ergo istoc magis,
Quia vaniloquus, vapulabis; ego sum, non tu, Sosia.

SOSIA.

Ita di faciant, ut tu potius sis atque ego te ut verberem.

MERCURIUS.

Etiam muttis?

SOSIA.

iam tacebo.

MERCURIUS.

quis tibi heru'st?

SOSIA.

quem tu voles.

MERCURIUS.

Quid igitur? qui nunc vocare?

SOSIA.

nemo, nisi quem iusseris.

MERCURIUS.

Amphitruonis te esse aiebas Sosiam.

SOSIA.

peccaveram;
Nam Amphitruonis socium ne me esse volui dicere.

MERCURIUS.

Sciebam equidem nullum esse nobis, nisi me, servom Sosiam.
Fugit te ratio.

SOSIA.

o utinam istuc pugni fecissent tui!

MERCURIUS.

Ego sum Sosia ille, quem tu dudum esse aiebas mihi.

SOSIA.

Obsecro per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem.

MERCURIUS.

Imo indutiae parumper fiant, si quid vis loqui.

SOSIA.

Non loquar nisi pace facta, quando pugnis plus vales.

MERCURIUS.

Dic, si quid vis, non nocebo.

SOSIA.

tuae fidei credo?

MERCURIUS.

meae.

SOSIA.

Quid, si falles?

MERCURIUS.

tum Mercurius Sosiae iratus siet.

SOSIA.

Animum advorte; nunc licet mihi libere quidvis loqui.
Amphitruonis ego sum servos Sosia.

MERCURIUS.

etiam denuo?

SOSIA.

Pacem feci, foedus feci, vera dico.

MERCURIUS.

vapula.

SOSIA.

Ut libet, quod tibi libet fac, quoniam pugnis plus vales.
Verum utut es facturus, hocquidem hercle haud reticebo tamen.

MERCURIUS.

Tu me vivos hodie nunquam facies quin sim Sosia.

SOSIA.

Certe edepol tu me alienabis nunquam quin noster siem.
Nec nobis praeter med alius quisquam est servos Sosia,
Qui cum Amphitruone hinc una ieram in exercitum.

MERCURIUS.

Hic homo sanus non est.

SOSIA.

quod mihi praedicas vitium, id tibi est.
Quid, malum! non sum ego servos Amphitruonis Sosia?
Nonne nostra navis noctu hac ex portu Persico
Venit, quae me advexit? Nonne me huc herus misit meus?
Nonne ego nunc sto ante aedis nostras? Non mi est laterna in manu?
Non loquor? non vigilo? non hic modo me pugnis contudit?
Fecit hercle; nam etiam misero misere nunc malae dolent.
Quid igitur ego dubito? aut cur non introeo in nostram domum?

MERCURIUS.

Quid, domum vostram?

SOSIA.

ita enímvero.

MERCURIUS.

quin quae dixisti modo,
Omnia ementitus. equidem sum Amphitruonis Sosia.
Nam noctu hac soluta est navis nostra e portu Persico,
Et ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugnavimus
Et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus,
Et ipsus Amphitruo obtruncavit regem Pterelam in praelio.

SOSIA.

Egomet mihi non credo quum illaec autumare illum audio;
Hic quidem certe quae illic sunt res gestae, memorat memoriter.
Sed quid ais, quid Amphitruoni a Telebois est datum?

MERCURIUS.

Pterela rex qui potitare solitus est patera aurea.

SOSIA.

Eloquutus est. ubi patera nunc est?

MERCURIUS.

in cistellula
Amphitruonis obsignata signo est.

SOSIA.

signi dic quid est?

MERCURIUS.

Cum quadrigis sol exoriens. Quid me captas carnufex?

SOSIA.

Argumentis vicit, aliud nomen quaerendu'st mihi.
Nescio unde haec hic spectavit. Iam ego hunc decipiam probe.
Nam quod egomet solus feci nec quisquam alius affuit
In tabernaclo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Sosia es, legiones quom pugnabant maxume,
Quid in tabernaclo fecisti? victus sum, si dixeris.

MERCURIUS.

Cadus erat vini, inde implevi hirneam.

SOSIA.

ingressust viam.

MERCURIUS.

Eam ego, ut fuerat natum, vini eduxi hirneam meri.

SOSIA.

Factum'st illud, ut ego illic vini hirneam ebiberim meri.
Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea.

MERCURIUS.

Quid nunc? vincon' argumentis te non esse Sosiam?

SOSIA.

Tu negas med esse?

MERCURIUS.

quid ego ni negem, qui egomet siem?

SOSIA.

Per Iovem iuro med esse neque me falsum dicere.

MERCURIUS.

At ego per Mercurium iuro tibi Iovem non credere,
Nam iniurato scio plus credet mihi quam iurato tibi.

SOSIA.

Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.

MERCURIUS.

Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia.
Nunc quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis, ignobilis.

SOSIA.

Certe edepol, quom illum contemplo et formam cognosco meam,
Quemadmodum ego sum (saepe in speculum inspexi), nimis simil'est mei.
Itidem habet petasum ac vestitum; tam consimil'est atque ego;
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum vel labra,
Malae, mentum, barba, collum, totus, quid verbis opu'st?
Si tergum cicatricosum, nihil hoc simili est similius.
Sed quom cogito, equidem certo idem sum qui semper fui.
Novi herum, novi aedis nostras; sane sapio et sentio.
Non ego illi obtempero quod loquitur; pultabo foris.

MERCURIUS.

Quo agis te?

SOSIA.

domum.

MERCURIUS.

quadrigas si nunc inscendas Iovis
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

SOSIA.

Nonne herae meae nunciare, quod herus meus iussit, licet?

MERCURIUS.

Tuae si quid vis nunciare; hanc nostram adire non sinam.
Nam si me inritassis, hodie lumbifrangium hinc auferes.

SOSIA.

Abeo potius. Di immortales, obsecro vostram fidem,
Ubi ego perii? ubi immutatus sum? ubi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quae antehac fuerat, possidet.
Vivo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum atque haec ut sunt facta, hero dicam meo.
Nisi etiam is quoque me ignorabit, quod ille faciat Iuppiter,
Uti ego hodie raso capite calvus capiam pileum.

MERCURIUS.

Bene prospereque hoc hodie processit mihi.
Amovi a foribus maxumam molestiam,
Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
Iam ille illuc ad herum quom Amphitruonem advenerit,
Narrabit servom hinc sese a foribus Sosiam
Amovisse: ille adeo illum mentiri sibi
Credet, neque credet huc profectum, ut iusserat.
Erroris ambo ego illos et dementiae
Complebo atque omnem Amphitruonis familiam;
Adeo usque satietatem dum capiet pater
Illius quam amat; igitur demum omnes scient
Quae facta. Denique Alcumenam Iuppiter
Rediget antiquam in concordiam coniugis.
Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet
Atque insimulabit eam probri; tum meus pater
Eam seditionem in tranquillum conferet.
Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos;
Alter decumo post mense nascetur puer

Quam seminatus, alter mense septumo.
Eorum Amphitruonis alter est, alter Iovis.
Verum minori puero maior est pater,
Minor maiori. iamne hoc scitis quid siet?
Sed Alcumenae huius honoris gratia
Pater curavit uno ut foetu fieret,
Uno ut labore absolvat aerumnas duas,
Et ne in suspicione ponatur stupri,
Et clandestina ut celetur consuetio.
Quanquam, ut iam dudum dixi, resciscet tamen
Amphitruo rem omnem. quid igitur? nemo id probro
Profecto ducet Alcumenae. Nam deum
Non par videtur facere, delictum suum
Suamque ut culpam expetere in mortalem sinat.
Orationem comprimam, crepuit foris.
Amphitruo subditivus eccum exit foras
Cum Alcumena uxore usuraria.

IUPPITER. ALCUMENA. MERCURIUS.

IUPPITER.

Bene vale, Alcumena, cura rem communem, quod facis,
Atque inperce, quaeso; menses iam tibi esse actos vides.
Mihi necesse est ire hinc; verum quod erit natum, tollito.

ALCUMENA.

Quid istuc est, mi vir, negoti, quod tu tam subito domo
Abeas?

IUPPITER.

edepol haud quod tui me neque domi distaedeat,
Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum,
Citius quod non facto'st usus, fit quam quod facto'st opus.

MERCURIUS.

Nimis hic scitust sycophanta qui quidem meus sit pater.
Observatote qüam blande mulieri palpabitur.

ALCUMENA.

Ecastor te experior quanti facias uxorem tuam.

IUPPITER.

Satin' habes si foeminarum nulla'st quam aeque diligam?

MERCURIUS.

Edepol nae illa si istis rebus te sciat operam dare,
Ego faxim te Amphitruonem esse malis quam Iovem.

ALCUMENA.

Experiri istuc mavellem me quam mi memorarier.
Prius abis quam lectus, ubi cubuisti, concaluit locus.
Heri venisti media nocte, nunc abis; hoccine placet?

MERCURIUS.

Accedam atque hanc appellabo et supparasitabor patri.
Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam
Sic ecflictim amare proinde ut hic te ecflictim deperit.

IUPPITER.

Carnufex, non ego te novi? abin'e conspectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut muttitio?
Quoi ego hoc iam scipione —

ALCUMENA.

ah noli.

IUPPITER.

muttito modo.

MERCURIUS.

Nequiter paene expedivit prima parasitatio.

IUPPITER

Verum quod tu dicis, mea uxor, non te mi irasci decet.
Clanculum abii ego a legione, operam hanc subripui tibi,
Ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam.
Ea tibi omnia enarravi. nisi te amarem plurimum,
Non facerem.

MERCURIUS.

facitne ut dixi? timidam palpo percutit.

IUPPITER.

Nunc ne legio persentiscat, clam illuc redeundum est mihi,
Ne me uxorem praevortisse dicant prae republica.

ALCUMENA.

Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem.

IUPPITER.

tace.
Ne corrumpe oculos, redibo actutum.

ALCUMENA.

id actutum diu'st.

IUPPITER.

Non ego te hic lubens relinquo neque abeo abs te.

ALCUMENA.

sentio.
Nam qua nocte ad me venisti, eadem abis.

IUPPITER.

Cur me tenes?
Tempus est; exire ex urbe priusquam luciscat volo.
Nunc tibi hanc pateram, quae dono mi illic ob virtutem data'st,
Pterela rex qui potitavit, quem ego mea occidi manu,
Alcumena, tibi condono.

ALCUMENA.

facis ut alias res soles.
Ecastor condignum donum, quali'st qui donum dedit.

MERCURIUS.

Imo sic condignum donum, quali'st cui dono datu'st.

IUPPITER.

Pergin' autem? nonne ego possum, furcifer, te perdere?

ALCUMENA.

Noli amabo, Amphitruo, irasci Sosiae caussa mea.

IUPPITER.

Faciam ita ut vis.

MERCURIUS.

ex amore hic admodum quam saevus est.

IUPPITER.

Nunquid vis?

ALCUMENA.

ut quom absim, me ames, me tuam absentem tamen.

MERCURIUS.

Eamus, Amphitruo, luciscit hoc iam.

IUPPITFR.

abi prae, Sosia.

Iam ego sequar. nunquid vis?

ALCUMENA.

etiam ut actutum advenias.

IUPPITER.

licet.

Prius ego tua opinione hic adero; eo bonum animum habe.
Nunc te, nox, quae me mansisti, mitto, ut cedas diei.
Ut mortalis inlucescas luce clara et candida.
Atque quanto nox fuisti longior hac proxuma,
Tanto brevior dies ut fiat faciam, ut aeque dispar et
Dies e nocte accedat. ibo et Mercurium subsequar.

AMPHITRUO. SOSIA.

AMPHITRUO.

Age i tu secundam.

SOSIA.

sequor, subsequor te.

AMPHITRUO.

Scelestissimum te arbitror.

SOSIA.

nam quamobrem?

AMPHITRUO.

Quia id quod neque est, neque fuit, neque futurum est
Mihi praedicas.

SOSIA.

eccere, iam tuatim
Facis uti tuis nulla apud te fides sit.

AMPHITRUO.

Quid est? quo modo? iam quidem hercle ego tibi istam
Scelestam, scelus, linguam abscidam.

SOSIA.

tuus sum;
Proinde ut commodumst et lubet, quidque facias;
Tamen quin loquar haec uti facta sunt hic,
Nunquam ullo modo me potes deterrere.

AMPHITRUO.

Scelestissime, audes mihi praedicare id,
Domi te esse nunc, qui hic ades?

SOSIA.

vera dico.

AMPHITRUO.

Malum! quod tibi di dabunt atque ego hodie
Dabo.

SOSIA.

Istuc tibi est in manu; nam tuus sum.

AMPHITRUO.

Tun' me, verbero, audes herum ludificari?
Tun' id dicere audes, quod nemo unquam homo antehac
Vidit nec potest fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit?

SOSIA.

Profecto, ut loquor, res ita'st.

AMPHITRUO.

Iuppiter te
Perdat.

SOSIA.

Quid mali sum, here, tua ex re promeritus?

AMPHITRUO.

Rogasne, improbe, etiam, qui ludos facis me?

SOSIA.

Merito maledicas mihi, si non id ita factum est.
Verum haud mentior, resque uti facta dico.

AMPHITRUO.

Homo hic ebrius est, ut opinor.

SOSIA.

Utinam ita essem!

AMPHITRUO.

optas, quae facta.

SOSIA.

egone?

AMPHITRUO.

tu istic ubi bibisti?

SOSIA.

Nusquam equidem bibi.

AMPHITRUO.

quid hoc sit hominis?

SOSIA.

equidem decies dixi:
Domi ego sum, inquam. Ecquid audis? et apud te assum Sosia idem.
Satin' hoc plane, satin' diserte, here, nunc videor tibi locutus
Ésse?

AMPHITRUO.

Vah, apáge te a me!

SOSIA.

quid istúc negoti est?

AMPHITRUO.

Pestis te
Ténet.

SOSIA.

Nam cur istúc dicis? equidém valeo et salvós sum recte, Amphitruo.

AMPHITRUO.

At égo faciam hodié, proinde ac méritus es,
Ut minus valeas et miser ut sis, salvos si rediero.
Sequere sis, qui herum ludificas dictis delirantibus,
Qui quoniam herus quod imperavit, neglexisti persequi,
Nunc venis etiam ultro irrisum dominum; quae neque fieri
Possunt neque fando unquam accepit quisquam, profers, carnufex.
Quoius ego hodie in tergo faxo ista expetant mendacia.

SOSIA.

Amphitruo, miserrima isthaec miseria est servo bono,
Apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.

AMPHITRUO.

Quo id, malum, pacto putes nam, mecum argumentis puta,
Fieri, nunc hic ut tu sis et domi, id dici volo.

SOSIA.

Sum profecto et hic et illic; hoc cuivis mirari licet.
Neque tibi istuc mirum magis videtur quam mi, Amphitruo.

AMPHITRUO.

Quo modo?

SOSIA.

nihilo, inquam, mirum magis tibi istuc quam mihi.
Neque, ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiae,
Donec Sosia, ille egomet, fecit sibi uti crederem.
Ordine omne uti quicque actum est, dum apud hostes sedimus,
Edissertavit, tum formam una abstulit cum nomine,
Neque lac lacti magis est simile quam ille ego similis est mei.
Nam ut dudum ante lucem a portu me praemisisti domum —

AMPHITRUO.

Quid igitur?

SOSIA.

prius multo ante aedis stabam quam illo adveneram.

AMPHITRUO.

Quas, malum, nugas? satin'tu sanus es?

SOSIA.

sic sum, ut vides.

AMPHITRUO.

Huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu,
Postquam a me abiit.

SOSIA.

fateor, nam sum obtusus pugnis pessume.

AMPHITRUO.

Quis te verberavit?

SOSIA.

egomet memet, qui nunc sum domi.

AMPHITRUO.

Cave quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.
Omnium primum iste qui sit Sosia, hoc dici volo.

SOSIA.

Tuus est servus.

AMPHITRUO.

mihi quidem uno te plus etiam est quam volo,
Neque postquam sum natus, habui nisi te servum Sosiam.

SOSIA.

At ego nunc, Amphitruo, dico, Sosiam servum tuum
Praeter me alterum, inquam, adveniens faciam ut offendas domi,
Davo prognatum patre eodem quo ego sum, forma, aetate item
Qua ego sum. quid opu'st verbis? geminus Sosia hic factu'st tibi.

AMPHITRUO.

Nimia memoras mira. sed vidistin' uxorem meam?

SOSIA.

Quin introire in aedis nunquam licitum est.

AMPHITRUO.

quis te prohibuit?

SOSIA.

Sosia ille, quem iamdudum dico, is qui me contudit.

AMPHITRUO.

Quis istic Sosia est?

SOSIA.

ego, inquam. quoties dicendum est tibi?

AMPHITRUO.

Sed quid ais? num obdormivisti dudum?

SOSIA.

nusquam gentium.

AMPHITRUO.

Ibi forte istum si vidisses quendam in somnis Sosiam.

SOSIA.

Nón soleo ego somnículose herí mei imperia persequi.
Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor,
Vigilantem ille me iamdudum vigilans pugnis contudit.

AMPHITRUO.

Quis homo?

SOSIA.

Sosia, inquam, ego ille. quaeso, nonne intellegis?

AMPHITRUO.

Qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis.

SOSIA.

Verum actutum nosces.

AMPHITRUO.

quem?

SOSIA.

illum nosces servum Sosiam.

AMPHITRUO.

Sequere hac igitur me, nam mi istuc primum exquisito est opus.
Sed vide ex navi efferantur quae imperavi, iam omnia.

SOSIA.

Et memor sum et diligens, ut quae imperes compareant,
Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuum.

AMPHITRUO.

Utinam di faxint infecta dicta re eveniant tua.

ALCUMENA. AMPHITRUO. SOSIA.

ALCUMENA.

Satin' parva res est voluptatum in vita atque in aetate agunda,
Praequam quod molestum est. ita cuique est in aetate hominum comparatum,
Ita dis placitum, *(anapaest. monom.)*
Voluptatem ut moeror comes consequatur, *(bacch. tetram.)*
Quin incommodi plus malique illico assit, boni si obtigit quid.
Nam ego id nunc experior domo atque ipsa de me scio, cui voluptas
Parumper data'st, dum viri mei fuit mihi potestas videndi
Noctem unam modo, atque is repente abiit a me
Hinc ante lucem. *(iamb. monom. hypercatal.)*
Sola hic mihi nunc videor, quia ille hinc abest, quem ego amo praeter omnes.
Plus aegri ex abitu viri quam ex adventu voluptatis cepi.
Sed hoc me beat saltem, quom perduelles
Vicit et domum laudis compos revenit, id solatio est. *(t. t. c.)*
Absit, dummodo laude parta domúm recipiát se; feram et perferam usque abitum eius animo
Forti atque obfirmato, id modo si mercedis
Datur mihi, ut meus victor vir belli clueat,
Satis mihi esse ducam.
Virtus praemium est optumum, *(trim. bacch. catal. cf. Herm. el. p. 309.)*
Virtus omnibus rebus anteit profecto.
Libertas, salus, vita, res et parentes;

Patria et prognati tutantur, servantur, *(as. i. h. b. d.)*
Virtus omnia in se habet, omnia assunt bona, quem penes est virtus. *(t. t.)*

AMPHITRUO.

Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum,
Quae me amat, quam contra amo, praesertim re gesta bene,
Victis hostibus, quos nemo posse superari ratu'st,
Eos auspicio meo atque inductu primo coetu vicimus,
Certe enim me illi expectatum optato venturum scio.

SOSIA.

Quid me non rere expectatum amicae venturum meae?

ALCUMENA.

Meus vir hic quidem est.

AMPHITRUO.

sequere hac tu me.

ALCUMENA.

nam quid ille revortitur,
Qui dudum properare se aibat? an ille me tentat sciens?
Atque si id volt experiri, suum abitum ut desiderem,
Ecastor med haud invita se domum recipit suam.

SOSIA.

Amphitruo, redire ad navem meliu'st nos.

AMPHITRUO.

qua gratia?

SOSIA.

Quia domi daturus nemo est prandium advenientibus.

AMPHITRUO.

Qui tibi istuc nunc in mentem venit?

SOSIA.

quia enim sero advenimus. *(i. tetr.)*

AMPHITRUO.

Qui?

SOSIA.

quia Alcumenam ante aedis stare saturam intellego.

AMPHITRUO.

Gravidam ego illanc hic reliqui quom abeo.

SOSIA.

ei perii miser.

AMPHITRUO.

Quid tibi est?

SOSIA.

ad aquam praebendam commodum adveni domum
Decumo post mense, ut rationem te dictare intellego.

AMPHITRUO.

Bono animo es.

SOSIA.

scin' quam bono animo? si situlam iam cepero,
Nunquam edepol tu mihi divini creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.

AMPHITRUO.

Sequere hac me modo, alium ego isti rei alligabo, ne time.

ALCUMENA.

Magis nunc me meum officium facere, si huic eam advorsum, arbitror.

AMPHITRUO.

Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam,
Quam omnium Thebis vir unam esse optimam diiudicat
Quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam.
Valuistin' usque? expectatun' advenio?

SOSIA.

haud vidi magis
Exspectatum, eum salutat magis haut quisquam quam canem.

AMPHITRUO.

Et cum te gravidam et cum pulchre plenam aspicio, gaudeo.

ALCUMENA.

Obsecro ecastor, quid tu me deridiculi gratia
Sic salutas atque appellas quasi dudum non videris,

Quasi qui nunc primum recipias te domum huc ex hostibus,
Atque me nunc proinde appellas, quasi multo post videris?

AMPHITRUO.

Imo equidem te, nisi nunc hodie, nusquam vidi gentium.

ALCUMENA.

Cur negas?

AMPHITRUO.

quia vera didici dicere.

ALCUMENA.

Haud aequum facit,
Qui quod didicit, id dediscit. an periclitamini
Quid animi habeam? sed quid huc vos revortimini tam cito?
An te auspicium commoratum est? an tempestas continet?
Qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?

AMPHITRUO.

Dudum! quam dudum istuc factum est?

ALCUMENA.

tentas, iam dudum, modo.

AMPHITRUO.

Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis, iam dudum, modo?

ALCUMENA.

Quid enim censes? te ut deludam contra lusorem meum,
Qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris?

AMPHITRUO.

Haec quidem deliramenta loquitur.

SOSIA.

paulisper mane,
Dum edormiscat unum somnum.

AMPHITRUO.

quaene vigilans somniat?

ALCUMENA.

Equidem ecastor vigilo et vigilans id quod factum est fabulor.
Nam dudum ante lucem et istunc et te vidi.

AMPHITRUO.

quo in loco?

ALCUMENA.

Hic in aedibus, ubi tu habitas.

AMPHITRUO.

numquam factum est.

SOSIA.

non taces?
Quid si e portu navis huc nos dormientis detulit?

AMPHITRUO.

Etiam tu quoque adsentaris huic?

SOSIA.

quid vis fieri?
Non tu scis, Bacchae bacchanti si velis advorsarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet saepius,
Si obsequare, una resolvas plaga.

AMPHITRUO.

at pol quin certa res
Hanc est obiurgare, quae me hodie advenientem domum
Noluerit salutare.

SOSIA.

irritabis crabrones.

AMPHITRUO.

tace.
Alcumena, unum rogare te volo.

ALCUMENA.

quid vis? roga.

AMPHITRUO.

Nunc tibi aut stultitia accessit aut superat superbia?

ALCUMENA.

Qui istuc in mente est tibi, mi vir, ex me percontarier?

AMPHITRUO.

Quia salutare advenientem me solebas antidhac,

Appellare itidem ut pudicae suos viros, quae sunt, solent.
Eo more expertem te factam adveniens offendi domi.

ALCUMENA.

Ecastor equidem te certo advenientem heri illico
Et salutavi et valuissesne usque, exquisivi simul,
Mi vir, et manum prehendi et osculum tetuli tibi.

SOSIA.

Tun' heri hunc salutavisti?

ALCUMENA.

et te quoque etiam, Sosia.

SOSIA.

Amphitruo, speravi ego istam tibi parituram filium,
Verum non est puero gravida.

AMPHITRUO.

Quid igitur?

SOSIA.

insania.

ALCUMENA.

Equidem sana sum et deos quaeso ut salva pariam filium.
Verum tu magnum malum habebis, si hic suum officium facit,
Ob istuc omen, ominator, capies, quod de condecet.

SOSIA.

Enimvero praegnati oportet et malum et malum dari,
Ut, quod obrodat, sit, animo si male esse occoeperit.

AMPHITRUO.

Tu me heri hic vidisti?

ALCUMENA.

ego, inquam, si vis decies dicere.

AMPHITRUO.

In somnis fortasse.

ALCUMENA.

imo vigilaus vigilantem.

AMPHITRUO.

vae mihi!

SOSIA.

Quid tibi est?

AMPHITRUO.

delirat uxor.

SOSIA.

atra bili percita est,
Nulla res tam delirantis homines concinnat cito.

AMPHITRUO.

Ubi primum tibi sensisti, mulier, impliciscier?

ALCUMENA.

Equidem ecastor sana et salva sum.

AMPHITRUO.

cur igitur praedicas,
Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus?
Ibi coenavi atque ibi quievi in navi noctem perpetem,
Neque meum pedem huc intuli etiam in aedis, ut cum exercitu
Hinc profectus sum ad Teleboas hostis eosque ut vicimus.

ALCUMENA.

Imo mecum coenavisti et mecum cubuisti.

AMPHITRUO.

quid id est? *(tetram. troch. acatal.)*

ALCUMENA.

Vera dico.

AMPHITRUO.

non quidem hercle de hac re, de aliis nescio. *(tetram. troch. catal.)*

ALCUMENA.

Primulo diluculo abiisti ad legiones.

AMPHITRUO.

quomodo?

SOSIA.

Recte dicit, ut commeminit, somnium narrat tibi.
Sed, mulier, postquam experrecta es, prodigiali Iovi
Aut mola salsa hodie, aut ture comprecatam oportuit.

ALCUMENA.

Vae capiti tuo!

SOSIA.

tua istuc refert, si curaveris.

ALCUMENA.

Iterum iam hic in me inclementer dicit atque id sine malo.

AMPHITRUO.

Tace tu. tu dic. egone abs te abii hinc hodie cum diluculo?

ALCUMENA.

Quis igitur nisi vos narravit mihi illi ut fuerit praelium?

AMPHITRUO.

An etiam id tu scis?

ALCUMENA.

quippe quae ex te audivi ut urbem maxumam
Expugnavisses regemque Pterelam tute occideris.

AMPHITRUO.

Egone istuc dixi?

ALCUMENA.

tute istic, etiam astante hoc Sosia.
Audivistin tu me narrare haec hodie?

SOSIA.

ubi ego audiverim?

AMPHITRUO.

Hanc roga.

SOSIA.

me quidem praesente nunquam factum est quod sciam.

ALCUMENA.

Mirum quin te advorsus dicat.

AMPHITRUO.

Sosia, age, me huc adspice.

SOSIA.

Specto.

AMPHITRUO.

vera volo loqui te, nolo assentari mihi.
Audivistin' tu hodie me illi dicere ea quae illa autumat?

SOSIA.

Quaeso, edepol, num tu quoque etiam insanis, quom id me interrogas,
Qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul?

AMPHITRUO.

Qui nunc, mulier? audin' illum?

ALCUMENA.

ego vero, ac falsum dicere.

AMPHITRUO.

Neque tu illi neque mihi viro ipsi credis?

ALCUMENA.

eo fit, quia mihi
Plurimum credo et scio ista haec facta proinde ut proloquor.

AMPHITRUO.

Tun' me heri advenisse dicis?

ALCUMENA.

tun' te abisse hodie hinc negas?

AMPHITRUO.

Nego enimvero et me advenire nunc primum aio ad te domum.

ALCUMENA.

Obsecro, etiamne hoc negabis, te auream pateram mihi
Dedisse dono hodie, qua te illi donatum esse dixeras?

AMPHITRUO.

Neque edepol dedi neque dixi, verum ita animatus fui
Itaque nunc sum, ut ea te patera donem. sed quis istuc tibi
Dixit?

ALCUMENA.

ego quidem ex te audivi et ex tua accepi manu
Pateram.

AMPHITRUO.

mane, mane, obsecro te; nimis demiror, Sosia,

Qui illaec illic me donatum esse aurea patera sciat,
Nisi tu dudum hanc convenisti et narravisti haec omnia.

SOSIA.

Neque edepol ego dixi neque istam vidi nisi tecum simul.

AMPHITRUO.

Quid hoc sit hominis!

ALCUMENA.

vin' proferri pateram?

AMPHITRUO.

proferri volo.

ALCUMENA.

Fiat. i tu, Thessala, intus pateram proferto foras,
Qua hodie meus vir donavit me.

AMPHITRUO.

secede huc tu, Sosia.
Enimvero illud praeter alia mira miror maxume,
Si haec habet pateram illam.

SOSIA.

án etiam id credís, quae in hac cistéllula
Tuo signo obsignata fertur?

AMPHITRUO.

salvum signum est?

SOSIA.

inspice.

AMPHITRUO.

Recte, ita est ut obsignavi.

SOSIA.

quaeso quin tu istanc iubes
Pro cerrita circumferri?

AMPHITRUO.

edepol quin facto est opus.
Nam haec quidem edepol larvarum plena est.

ALCUMENA.

quid verbis opu'st?
Em tibi pateram, eccam.

AMPHITRUO.

cedo mi.

ALCUMENA.

age aspice huc sis nunc iam
Tu, qui quae facta, infitiare, quem ego iam hic convincam palam.
Estne haec patera qua donatus illî?

AMPHITRUO.

summe Iuppiter,
Quid ego video? haec ea est profecto patera. perii, Sosia.

SOSIA.

Aut pol haec praestigiatrix multo mulier maxuma est,
Aut pateram hic inesse oportet.

AMPHITRUO.

agedum, eam solve cistulam.

SOSIA.

Quid ego istam exolvam? obsignata'st recte, res gesta est bene.
Tu peperisti Amphitruonem, ego alium peperi Sosiam;
Nunc si pateram patera peperit, omnis congeminavimus.

AMPHITRUO.

Certum est aperire atque inspicere.

SOSIA.

vide sis signi quid siet,
Ne posterius in me culpam conferas.

AMPHITRUO.

aperi modo.
Nam haec quidem nos delirantes facere dictis postulat.

ALCUMENA.

Unde haec igitur est nisi abs te, quae mihi dono data est?
Opus mi est istuc exquisito.

SOSIA.

Iuppiter, pro Iuppiter!

AMPHITRUO.

Quid tibi est?

SOSIA.

hic patera nulla in cistula'st.

AMPHITRUO.

quid ego audio?

SOSIA.

Id quod veru'st.

AMPHITRUO.

at cum cruciatu iam, nisi apparet, tuo.

ALCUMENA.

Haec quidem apparet.

AMPHITRUO.

quis igitur tibi dedit?

ALCUMENA.

qui me rogat.

SOSIA.

Me captas, quia tute ab navi clanculum huc alia via
Praecucurristi atque hinc pateram tute exemisti atque eam
Huic dedisti, posthac rursum obsignasti clanculum.

AMPHITRUO.

Hei mihi, iam tu quoque huius adiuvas insaniam.
Ain' heri nos advenisse huc?

ALCUMENA.

aio, adveniensque illico
Me salutavisti et ego te et osculum tetuli tibi.

AMPHITRUO.

Iam illuc non placet principium de osculo.

ALCUMENA.

pergam exequi.
Lavisti.

AMPHITRUO.

quid, postquam lavi? accubuisti.

SOSIA.

euge, optime.

Nunc exquire.

AMPHITRUO.

ne interpella; perge porro dicere.

ALCUMENA.

Coena apposita est, coenavisti mecum, ego accubui simul.

AMPHITRUO.

In eodem lecto?

ALCUMENA.

in eodem.

SOSIA.

ei, non placet convivium.

AMPHITRUO.

Sine modo argumenta dicat. quid postquam coenavimus?

ALCUMENA.

Te dormitare aibas. mensa ablata est, cubitum hinc abiimus.

AMPHITRUO.

Ubi tu cubuisti?

ALCUMENA.

in eodem lecto tecum una in cubiculo.

AMPHITRUO.

Perdidisti.

SOSIA.

quid tibi est?

AMPHITRUO.

haec me modo ad mortem dedit.

ALCUMENA.

Quid iam, amabo?

AMPHITRUO.

ne me appella.

SOSIA.

quid tibi est?

AMPHITRUO.

perii miser,
Quia pudicitiae huius vitium me hic absente est additum.

ALCUMENA.

Obsecro ecastor, cur istuc, mi vir, ex te audio?

AMPHITRUO.

Vir ego tuus sim? ne me appella falso falso nomine.

SOSIA.

Haeret haec res, siquidem haec iam mulier facta'st ex viro.

ALCUMENA.

Quid ego feci, qua istaec propter dicta dicantur mihi?

AMPHITRUO.

Tute edictas facta tua, ex me quaeris quid deliqueris.

ALCUMENA.

Quid ego tibi deliqui, si cui nupta sum, tecum fui?

AMPHITRUO.

Tun' mecum fueris? quid illac impudente audacius?
Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuum.

ALCUMENA.

Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me impudicitiai captas, capere non potes.

AMPHITRUO.

Proh di immortales, cognoscin' tu me saltem, Sosia?

SOSIA.

Propemodum.

AMPHITRUO.

cenavin' ego heri in navi in portu Persico?

ALCUMENA.

Mihi quoque assunt testes qui illud quod ego dicam assentiant.

[AMPHITRUO.

Quid testes?

ALCUMENA.

testes.

AMPHITRUO.

quid testiculare?

ALCUMENA.

enim uno sat est.
Nec nobis praesente aliquis nisi servus Sosia affuit.]

SOSIA.

Nescio quid istuc negoti dicam, nisi si quispiam
Est Amphitruo alius, qui forte hic absente te tamen
Tuam rem curet teque absente hic munus fungatur tuum.
Namque de illo subditivo Sosia mirum nimis'st.
Certe de istoc Amphitruone iam alterum mirum est magis.
Nescio quis praestigiator hanc frustratur mulierem.

ALCUMENA.

Per supremi regis regnum iuro et matrem familias
Iunonem, quam me vereri et metuere est par maxume,
Ut mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me impudicam faceret.

AMPHITRUO.

vera isthaec velim.

ALCUMENA.

Vera dico, sed nequicquam, quoniam non vis credere.

AMPHITRUO.

Mulier es, audacter iuras.

ALCUMENA.

quae non deliquit, decet
Audacem esse, confidenter pro se et proterve loqui.

AMPHITRUO.

Satis audacter.

ALCUMENA.

ut decet pudicam.

AMPHITRUO.

tu verbis probas.
Non ego illam mihi dotem duco esse, quae dos dicitur,
Sed pudicitiam et pudorem et sedatum cupidinem,

Deum metum, parentum amorem et cognatum concordiam;
Tibi morigera atque ut munifica sim bonis, prosim probis.

SOSIA.

Ne ista edepol, si haec vera loquitur, examussim est optuma.

AMPHITRUO.

Delinitus sum profecto ita ut me qui sim nesciam.

SOSIA.

Amphitruo es profecto, cave sis ne tu te usu perduis;
Ita nunc homines immutantur, postquam peregre advenimus.

AMPHITRUO.

Mulier, istanc rem inquisitam certum est non amittere.

ALCUMENA.

Edepol me libente facies.

AMPHITRUO.

quid ais? responde mihi.
Quid si adduco tuum cognatum huc a navi Naucratem,
Qui mecum una vectus'st una navi, atque is si denegat
Facta quae tu facta dicis, quid tibi aequum est fieri?
Nunquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?

ALCUMENA.

Si deliqui, nulla causa est.

AMPHITRUO.

convenit. tu, Sosia,
Duc hos intro. ego huc ab navi mecum abducam Naucratem.

SOSIA.

Nunc quidem praeter nos nemo est; dic mihi verum serio,
Ecquis alius Sosia intu'st, qui mei similis siet?

ALCUMENA.

Abin' hinc a me dignus domino servus?

SOSIA.

abeo, si iubes.

ALCUMENA.

Nimis ecastor facinus mirum est, qui illi conlibitum siet
Meo viro, sic me insimulare falsum facinus tam malum.
Quicquid est, iam ex Naucrate cognato id cognoscam meo.

IUPPITER.

Ego sum ille Amphitruo, cui est servus Sosia,
Idem Mercurius qui fit, quando commodum'st.
In superiore qui habito coenaculo,
Qui interdum fio Iuppiter, quando lubet.
Huc autem quom extemplo adventum apporto, illico
Amphitruo fio et vestitum immuto meum.
Nunc huc honoris vestri venio gratia,
Ne hanc incoatam transigam comediam.
Simul Alcumenae, quam vir insontem probri
Amphitruo accusat, veni ut auxilium feram;
Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,
Si id Alcumenae innocenti expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut occoepi semel,
Esse assimulabo atque in horum familiam
Frustrationem hodie iniciam maxumam;
Post igitur demum faciam res fiat palam,
Atque Alcumenae in tempore auxilium feram
Faciamque ut uno fetu, et quod gravida est viro,
Et me quod gravida'st, pariat sine doloribus.
Mercurium iussi me continuo consequi,
Si quid vellem imperare. nunc hanc alloquar.

ALCUMENA. IUPPITER.

ALCUMENA.

Durare nequeo in aedibus: ita me probri,
Stupri, dedecoris a viro argutam meo!
Ea quae sunt facta, infecta re esse occlamitat,
Quae neque sunt facta neque ego in me admisi, arguit
Atque id me susque deque esse habituram putat.
Non edepol faciam neque me perpetiar probri
Falso insimulatam, quin ego illum aut deseram

Aut satisfaciat mi ille atque adiuret insuper
Nolle esse dicta quae in me insontem protulit.

IUPPITER.

Faciundum est mihi illud, fieri quod illaec postulat,
Si me illam amantem ad sese studeam recipere,
Quando ego quod feci, id factum Amphitruoni obfuit
Atque ille dudum meus amor negotium
Insonti exhibuit; nunc autem insonti mihi
Illius ira in hanc et maledicta expetent.

ALCUMENA.

Et eccom video, qui me miseram arguit
Stupri, dedecoris.

IUPPITER.

te volo, uxor, colloqui.
Quo ted avortisti?

ALCUMENA.

ita ingenium meum est,
Inimicos semper osa sum optuerier.

IUPPITER.

Heia autem inimicos.

ALCUMENA.

sic est, vera praedico,
Nisi etiam hoc falso dici insimilaturus es.

IUPPITER.

Nimis verecunda es.

ALCUMENA.

pótin' es ut abstinéas manum?
Nam certo si sis sanus aut sapias satis,
Quam tu impudicam esse arbitrere et praedices,
Cum ea tu sermonem nec ioco nec serio
Tibi habeas, nisi si sis stultior stultissumo.

IUPPITER.

Si dixi, nihilo magis es neque ego esse arbitror,
Et id huc revorti, uti me purgarem tibi.

Nam nunquam quicquam meo animo fuit aegrius
Quam postquam audivi te esse iratam mihi.
Cur dixisti, inquies. ego expediam tibi.
Non edepol quo te esse impudicam crederem,
Verum periclitatus animum sum tuum,
Quid faceres et quo pacto id ferre induceres.
Equidem ioco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi causâ, vel hunc rogato Sosiam.

ALCUMENA.

Quin huc adducis meum cognatum Naucratem
Testem quem dudum te adducturum dixeras,
Te huc non venisse?

IUPPITER.

Si quid dictum est per iocum,
Non aequum est id te serio praevortier.

ALCUMENA.

Ego illum scio quam doluerit cordi meo.

IUPPITER.

Per dexteram tuam te, Alcumena, oro, obsecro,
Da mi hancce veniam, ignosce, irata ne sies.

ALCUMENA.

Ego istaec feci verba virtute irrita;
Nunc quando factis me impudicis abstines,
Ab impudicis dictis avorti volo.
Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Iuben' mi ire comites?

IUPPITER.

sanan es?

ALCUMENA.

si non iubes,
Ibo egomet, comitem mihi Pudicitiam duxero.

IUPPITER.

Mane, arbitratu tuo iusiurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.

Id ego si fallo, tum te, summe Iuppiter,
Quaeso Amphitruoni ut semper iratus sies.

ALCUMENA.

Ah, propicius sit potius.

IUPPITER.

confido fore,
Nam iusiurandum verum te advorsum dedi.
Iam nunc irata non es?

ALCUMENA.

non sum.

IUPPITER.

bene facis.
Nam in hominum aetate multa eveniunt huiusmodi,
Capiunt voluptates, capiunt rursum miserias.
Irae interveniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum irae si quae forte eveniunt huiusmodi
Inter eos, rursum si reventum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se quam prius.

ALCUMENA.

Primum cavisse oportuit ne diceres,
Verum eadem si isdem purgas, mihi patiunda sunt.

IUPPITER.

Iube vero vasa pura adornari mihi,
Ut quae apud legionem vota vovi, si domum
Redissem salvus, ea ego exsolvam omnia.

ALCUMENA.

Ego istuc curabo.

IUPPITER.

evocate huc Sosiam,
Gubernatorem qui in mea navi fuit
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
Is adeo impransus ludificabitur dolis,
Quom ego Amphitruonem collo hinc obstricto traham.

ALCUMENA.

Mirum quid solus secum secreto ille agat.
Atque aperiuntur aedes, exit Sosia.

SOSIA. IUPPITER. ALCUMENA.

SOSIA.

Amphitruo, assum: si quid opus est, impera, imperium exequar.

IUPPITER.

Optume advenis.

SOSIA.

iam pax est inter vos, quaeso, duos?
Nam quia vos tranquillos video, gaudeo et volupe est mihi.
Atque ita servom par videtur frugi sese instituere:
Proinde heri ut sint, ipse item sit, voltum e voltu comparet.
Tristis sit, si eri sint tristes, hilarus sit, si gaudeant.
Sed age, responde, iam vos redistis in concordiam?

IUPPITFR.

Derides, qui scis haec iam dudum me dixisse per iocum.

SOSIA.

An id ioco dixisti? equidem serio ac vero ratus.

IUPPITER.

At habui expurgationem, facta pax est.

SOSIA.

optume est.

IUPPITER.

Ego rem divinam intus faciam, vota quae sunt.

SOSIA.

censeo.

IUPPITER.

Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis
Blepharonem, is uti re divina facta mecum prandeat.

SOSIA.

Iam hic ero, quum illic censebis esse me.

IUPPITER.

actutum huc redi.

ALCUMENA.

Nunquid vis quin abeam iam intro, ut apparentur quibus opus?

IUPPITER.

I sane et quantum potest parata fac sint omnia.

ALCUMENA.

Quin venis, quando vis, intro: faxo haud quicquam sit morae.

IUPPITER.

Recte loquere et proinde diligentem ut uxorem decet.
Iam hi ambo et servos et hera frustra sunt duo,
Qui me Amphitruonem rentur esse: errant probe.
Nunc tu divine huc fac assis Sosia.
Audis quae dico, tametsi praesens non ades:
Fac Amphitruonem advenientem ab aedibus
Abigas quovis pacto, fac commentus sies.
Volo deludi illum, dum cum hac usuraria
Uxore nunc mihi morigero, haec curata sint
Fac sis proinde adeo ut me velle intellegis
Atque ut ministres mihi, cum sacruficem mihi.

MERCURIUS.

Concedite atque abscedite omnes, de via decedite.
Nec quisquam tam audax fuat homo, qui obviam obsistat mihi.
Nam mihi quidem hercle qui minus liceat deo minitarier
Populo ni decedat mihi quam servulo in comoediis?
Ille navem salvam nunciat aut irati adventum senis:
Ego sum Iovi dicto audiens, eius iussu nunc huc me affero.
Quamobrem mihi magis par est via decedere et concedere.
Pater vocat me, eum sequor, eius dicto imperio sum audiens:
Ut filium bonum patri esse oportet, itidem ego sum patri.

Amanti subparasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo.
Si quid patri volupe'st, voluptas ea mihi multo maxuma'st.
Amat, sapit, recte facit, animo quando obsequitur suo:
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem volt deludi meus pater, faxo probe.
Iam hic deludetur, spectatores, vobis aspectantibus.
Capiam coronam mi in caput, assimulabo me esse ebrium
Atque illuc sursum escendero, inde optume sic aspellam virum:
De supero, quum huc accesserit, faciam ut sit madidus sobrius.
Deinde illi actutum sufferet suus servos poenas Sosia,
Eum fecisse ille hodie arguet quae ego fecero hic. quid id mea?
Meo me aequum est morigerum esse patri, eius studio servire addecet.
Sed eccum Amphitruonem, advenit: iam ille hic deludetur probe,
Siquidem vos voltis auscultando operam dare.
Ibo intro, ornatum capiam, qui potius decet.
Dein susum ascendam in tectum, ut illum hinc prohibeam.

AMPHITRUO.

Naucratem quem convenire volui, in navi non erat.
Neque domi neque in urbe invenio quemquam qui illum viderit.
Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia et myropolia,
Apud emporium, in macello, in palaestra atque in foro,
In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras.
Sum defessus quaeritando, nusquam invenio Naucratem.
Nunc domum ibo atque ex uxore hanc rem pergam exquirere
Quis fuerit quem propter corpus suum stupri compleverit.
Nam me, quam illam quaestionem inquisitam hodie amittere,
Mortuum satius'st. sed aedis occluserunt. eugepae!
Pariter hoc fit atque ut alia facta sunt; feriam foris.
Aperite hoc. heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?

MERCURIUS. AMPHITRUO.

MERCURIUS.

Quis ad foris est?

AMPHITRUO.

ego sum.

MERCURIUS.

quid ego sum?

AMPHITRUO.

ita loquor.

MERCURIUS.

tibi Iuppiter
Dique omnes irati certo sunt, qui sic frangas fores.

AMPHITRUO.

Quo modo?

MERCURIUS.

eo modo, ut profecto vivas aetatem miser.

AMPHITRUO.

Sosia.

MERCURIUS.

ita sum Sosia, nisi me esse oblitum existimas.
Quid nunc vis?

AMPHITRUO.

sceleste, at etiam quid velim, id tu me rogas?

MERCURIUS.

Ita rogo, pene effregisti, fatue, foribus cardines.
An foris censebas nobis publicitus praeberier?
Quid me aspectas, stolide? quid nunc vis tibi aut quis tu es homo?

AMPHITRUO.

Verbero, etiam quis ego sim me rogitas, ulmorum acheruns?
Quem pol ego hodie ob isthaec dicta faciam ferventem flagris.

MERCURIUS.

Prodigum te fuisse oportet olim in adulescentia.

AMPHITRUO.

Quidum?

MERCURIUS.

quia senecta aetate a me mendicas malum.

AMPHITRUO.

Cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba funditas.

MERCURIUS.

Sacrufico ego tibi.

AMPHITRUO.

qui?

MERCURIUS.

quia enim te macto infortunio.

SUBDITICIA.

Am. Tun me mactes carnufex? nisi formam Di hodie meam perdunt,
Faxo ut bubulis coriis onustus sis saturni hostia.
Ita ego te certo cruce et cruciatu mactabo. exi foras
Mastigia. Me. Larua umbratilis, tu me minis territas?
Nisi hinc actutum fugias, si denuo pultaveris,
Si minusculo digito increpuerint fores, hac tegula
Tuum deminuam caput, ut cum dentibus linguam excrees.
Am. Tun furcifer meis me procul prohibessis aedibus?
Tun meas pultare foreis? hasce illico toto demoliar cardine.
Me. Pergin. Am. pergo. Me. accipe. Am. sceleste, in herum? Si te hodie apprendero,
Ad id te redigam miseriarum, ut semper sis miser.
Me. Bacchanal te exercuisse oportuit senex. Am. qui dum?
Me. Quando tu me tuum servom censes. Am. Quid censeo?
Me. Malum tibi. praeter Amphitruonem herum novi neminem.

Am. Num formam perdidi? mirum quin me norit Sosia.
Scrutabor. eho dic mihi, quis uideor? num satis Amphitruo?
Me. Amphitruo? Sanus ne es? nonne tibi praedictum senex,
Bacchanal te exercuisse, quom qui sis alium rogites?
Abscede moneo. molestus ne sies, dum Amphitruo
Cum uxore modo ex hostibus adveniens, uoluptatem capit.
Am. Qua uxore? Me. Alcmena. Am. quis homo? Me. quotiens uis dictum? Amphitruo
Herus meus. molestus ne sies. Am. qui cum cubat?
Me. Vide ne infortunium quaeras, qui me sic ludifices.
Am. Dic quaeso mi Sosia. Me. blandius, cum Alcumena. Am. in eodem ne
Cubiculo? Me. imo ut arbitror corpore corpus incubat. Am. uae misero mihi.
Me. Lucri'st, quod miseriam deputat. Nam uxorem usurariam
Perinde est praebere, ac si agrum sterilem fodiendum loces.
Am. Sosia. Me. Quid (malum) Sosia. Am. num me nouisti uerbero?
Me. Noui te hominem molestum, qui ne emas litigium. Am. adhuc
Amplius. nonne ego herus sum tuus Amphitruo? Me. tu Bacchus es,
Haud Amphitruo. Quotiens tibi dictum uis? num denuo?
Meus Amphitruo uno cubiculo Alcmenam complexu tenet.
Si pergas, eum hic sistam, neque sine tuo magno malo.
Am. Cupio accersi. Vtinam pro bene factis Di patriam,
Aedeis, uxorem, familiam, cum forma una perduam.
Me. Accersam equidem. Sed de foribus tu interea sis uide.
Credo iam quae uolebat sacruficia ad epulum conduxit,
Si molestus sis, euades nunquam, quin te sacruficem.

AMPHITRUO. BLEPHARO. SOSIA.

Di uostram fidem, quae intemperiae nostram agunt familiam, quae mira
Video postquam aduenio peregre? Num ueru'st, quod olim est auditum

Fabularier, mutatos atticos in Arcadia homines,
Et saeuas belluas mansitasse? nec unquam denuo parentibus
Cognitos. Bl. Quid illuc Sosia? magna sunt, quae mira praedicas.
Ain tu alterum te repperisse domi consimilem Sosiam domi?
So. Aio. Sed heus tu quum ego Sosiam, Amphitruonem Amphitruo, quid scis, an
Tu forte alium Blepharonem parias? o Di faciant, ut tu quoque
Concisus pugnis et illisis dentibus id impransus creduas.
Num ego ille alter Sosia, qui illic sum, me malis mulctauit modis.
Bl. Mira profecto, sed gradus condecet grandire. Nam (ut uideo)
Expectat Amphitruo, et uacuus mihi uenter crepitat. Am. ecquid aliena
Fabulor? in nostro olim thebano genere plusquam mira memorant.
Martigenam ille aggressus belluam magnus Europae quaestor anguineo
Repente hosteis peperit seminio, et pugnata illac pugna
Frater trudebat fratrem hasta et galea, et nostrae authorem gentis
Cum Veneris filia angueis repsisse tellus epirotica
Vidit. De summo summus Iupiter sic statuit, sic fatum habet.
Optumi omnes nostrates pro claris factis diris aguntur malis.
Fata istaec me premunt. pertolerarem uim tantam, cladesque
Exanclarem impatibiles. So. Blepharo. Bl. quid est? So. nescio quid mali suspicor.
Bl. Quid? So. uidesis, Herus salutator oppessulatas ante foreis graditur.
Bl. Nihil est. famem expectat obambulans. So. curiose quidem. foreis enim
Clausit, ne praeuorteretur foras. Bl. ogganni. So. nec gannio nec latro;
Si me audias, obserues. Nescio quid se cum solus; puto
Rationes colligit. quid memoret hinc excipiam, ne propera.
Am. Vt metuo, ne uictis hostibus Di partam expungant gloriam,
Totam miris modis nostram uideo turbatam familiam.
Tum uero uxor uitio, stupro, dedecore me plena enicat.
Sed de patera miru'st. erat tamen signum obsignatum probe.
Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta et Pterelam oppugnatum,

Nostris occisum manibus fortiter. At at noui iam ludum.
Id Sosiae factu'st opera, qui me hodie quoque praesentem ausit
Indigne praeuortier. So. de me locutus, et quae uelim minus.
Hominem ne congrediamur quaeso, prius quam stomachum detexerit?
Bl. Vt lubet. Am. Si illum datur hodie mastigiam apprehendere, ostendam quid sit
Herum fallere minis et dolis incessere. So. audin tu illum? Bl. audio.
So. Illaec machina meas onerat scapulas, compellemus sis hominem.
Scin quid uolgo dici solet? Bl. Quid dicturus sis nescio,
Quid tibi patiundum, fere hariolor. So. Vetu'st adagium, fames et mora
Bilem in nasum conciunt. Bl. Verum quidem e loco compellemus.
Alacre, Amphitruo. Am. Blepharonem audio: mirum, quid ad me ueniat,
Opportune tamen se offert, ut uxoris facta conuincam turpia.
Quid huc ad me Blepharo? Bl. oblitus tam cito? quam diluculo
Misisti ad nauim Sosiam, ut hodie tecum conuiuerem.
Am. Nusquam factum gentium. Sed ubi illic scelestus? Bl. quis? Am. Sosia.
Bl. Eccum illum. Am. ubi? Bl. ante oculos, non uides? Am. uix uideo prae ira, adeo me istic
Hodie delirum fecit. ne te sacruficem nunquam euades.
Sine me Blepharo. Bl. ausculta precor. Am. dic, ausculto, tu uapula.
So. Qua de re? num satis tempori? non ocyus quiui, si me
Daedaleis tulissem remigiis. Bl. abstine quaeso, non potuimus
Nostros grandius grandire gradus. Am. siue gralatorius, siue
Testudineus fuerit, certu'st mihi hunc scelestum perdere.
En tectum, en tegulas, en obductas fores, en ludificatum herum;
En uerborum scelus. Bl. Quid mali fecit tibi? Am. Rogas? ex illo
Tecto exclusum foribus me deturbauit aedibus. So. ego ne?
Am. Tu. quid minitabas te facturum, si istas pepulissem fores?
Negas sceleste? So. Quin negem? en testis ampliter, qui cum uenio.
Missus sedulo, ut ad te uocatum ducerem. Am. quis te misit,

Furcifer? So. Qui me rogat. Am. quando gentium? So. dudum, iam, pridem, modo.
Vbi cum uxore domi redisti in gratiam. Am. Bacchus te irritassit.
So. Nec Bacchum salutem hodie, nec Cererem. tu purgari iusseras
Vasa, ut rem diuinam faceres, et hunc me accersitum mittis,
Vt tecum prandeat. Am. Blepharo, dispeream, si aut intus adhuc fui,
Aut si hunc miserim. Dic ubi me liquisti? So. domi cum Alcumena coniuge.
Ego a te abiens portum uorsus uolito. hunc tuis verbis uoco.
Venimus. nec te, nisi nunc uideo postea. Am. scelestum caput cum uxore?
Nunquam abis, quin uapules. So. Blepharo. Bl. Amphitruo mitte hunc mea gratia,
Et me audias. Am. En mitto, quiduis loquere. Bl. istic iamdudum mihi
Maxuma memorauit mira. praestigiator forte aut ueneficus
Hanc excantat tibi familiam. inquire aliunde. uide quid siet.
Nec ante hunc excruciatum miserum facias, quam rem intellegas.
Am. Recte mones, eamus, te aduorsum uxori etiam aduocatum uolo.

IUPITER. AMPHITRUO. SOSIA. BLEPHARO.

Quis tam uasto impete has foreis toto conuolsit cardine?
Quis ante aedeis tantas tamdiu turbas concitat? quem si comperero
Telebois sacruficabo manibus. nihil est, ut dici solet,
Quod hodie bene succedat mihi. deserui Blepharonem et Sosiam,
Vt cognatum Naucraten conuenirem. hunc non repperi et illos perdidi.
Sed eos uideo. Ibo aduorsum, ut si quid habent, sciscitem. So. Blepharo, illic qui
Ex aedibus, herus est. hic uero ueneficus. Bl. proh Iupiter,
Quid intueor? hic non est, sed ille Amphitruo. istic si fuat,
Illum sane non esse oportuit, nisi quidem sit geminus.

Eccum cum Blepharone Sosiam. compellabo hos prius. Sosia,
Tandem ad nos? esurio. So. dixin tibi hunc ueneficum?
Am. Immo hunc ego thebani ciues, qui domi uxorem meam
Impudicitia impediuit, per quem teneo thesaurum stupri.
So. Here, si tu nunc esuris, ego satur pugnis ad te uolito.
Am. Pergin mastigia? So. abi ad Acherontem uenefice. Am. men ueneficum?
Vapula. Iu. quae hospes intemperiae, ut tu meum uerberes? Am. tuum? Iu. meum.
Am. Mentiris. Iu. Sosia i intro dum hunc sacrufico, fac paretur prandium.
So. Ibo. Amphitruonem (arbitror) ita comiter Amphitruo
Accipiet, ut dudum memet ego ille alter Sosia Sosiam.
Interea dum isti certant, in popinam deuortundu'st mihi.
Lances detergam omneis omneisque trullas hauriam. Iu. tun me
Mentiri ais? Am. mentiris, inquam, meae corruptor familiae.
Iu. Ob istuc indignum dictum te obstricto collo hac arripiam.
Am. Vae misero mihi. Iu. at id praecauisse oportuit. Am. Blepharo suppetias mihi.
Bl. Consimiles sunt adeo, ut utri adsim, nesciam. rixam tamen
Vt potest, dirimam. Amphitruo noli Amphitruonem duello perdere.
Linque collum precor. Iu. hunc tu Amphitruonem dictitas?
Bl. Quidni? unus olim, nunc uero partus est geminus,
Dum tu uis esse, alter quoque esse forma non desinit.
Interea quaeso collum linque. Iu. linquo. sed dic mihi, uideturne tibi
Istic Amphitruo? Bl. uterque quidem. Am. proh summe Iupiter, ubi hodie
Mihi formam adimis, pergo quaerere. tun Amphitruo? Iu. tu negas?
Am. Pernego quando Thebis praeter me nemo'st alter Amphitruo.
Iu. Immo praeter me nemo. atque adeo tu Blepharo iudex sies.
Bl. Faciam id, si queo, signis palam. tu responde prius. Am. lubens.
Bl. Antequam cum Taphiis a te pugna sit inita, quid mandasti mihi?
Am. Parata naui, clauo haereres sedulo.

Iu. Vt si nostri fugam facerent, illuc me tuto reciperem.
Am. Item aliud, ut bene nummatum seruaretur marsupium.
Iu. Quae pecuniae? Bl. tacesis tu. meu'st quaerere. scisti numerum?
Iu. Talenta quinquaginta attica. Bl. hic examussim rem enarrat, et tu,
Quot Philippei? Am. duo milia. Iu. oboli uero bis totidem. Bl. uterque
Rem tenet probe. intus in crumena clausum alterum esse oportuit.
Iu. Attendesis, hac dextera (ut nosti) regem mactaui Pterelam,
Spolia ademi et pateram, qua ille potare solitus est, in cistella
Pertuli, dono uxori meae dedi, qui cum hodie domi laui,
Sacruficaui, cubui. Am. hei mihi quid audio? uix apud me sum.
Vigilans quippe dormio. Vigilans somnio, uiuos et sanus intereo.
Ego idem ille sum Amphitruo Gorgophonis nepos, imperator thebanorum
Et Creontis unicus, Teleboarum perduellis, qui Acarnanes
Et Taphios ui uici et summa regem virtute bellica.
Illisce praefeci Cephalum magni Deionei filium.
Iu. Ego idem latrones hostes bello et uirtute contudi.
Electrionem perdiderant nostrae et germanos coniugis.
Achaiam, Aetoliam, Phocidem. per freta ionium et aegeum et creticum
Vagati ui uortebant piratica. Am. Di immortales, mihi met
Non credo. ita omnia, quae facta illic, examussim loquitur. Vide
Blepharo. Bl. Vnum superest. id si fuat, Amphitruones fitote gemini.
Iu. Quid dicas novi, cicatricem in dextro musculo ex illoc uolnere
Quod mihi impegit Pterela. Bl. eam quidem. Am. apposite. Iu. uiden en aspice.
Bl. Detegite, aspiciam. Iu. deteximus, uide. Bl. supreme Iupiter.
Quid intueor, utrique in musculo dextero, eodem in loco,
Signo eodem apparet probe, ut primum coiuit cicatrix ruffula,
Sublurida. Rationes iacent, iudicium silet. Quid agam nescio.

BLEPHARO. AMPHITRUO. IUPPITER.

BLEPHARO.

Vos inter vos parcite, ego abeo, mihi negotium est.
Neque ego unquam usquam tanta mira me vidisse censeo.

AMPHITRUO.

Blepharo, quaeso, ut advocatus mi assis neve abeas.

BLEPHARO.

vale.
Quid opus me advocato, qui utri sim advocatus nescio.

IUPPITER.

Intro ego hinc eo, Alcumena parturit.

AMPHITRUO.

perii miser.
Quid ego ago, quem advocati iam atque amici deserunt?
Nunquam edepol me inultus istic ludificabit, quisquis est.
Nam iam ad regem recta ducam resque ut facta est eloquar.
Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui perverse perturbavit familiae mentem meae.
Sed ubi ille'st? intro edepol abiit, credo ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter vivit miserior? quid nunc agam?
Quem omnes mortales ignorant et ludificant, ut lubet.
Certum'st, introrumpam in aedis, ubi quemque hominem aspexero
Sive ancillam sive servom sive uxorem, sive adulterum,
Seu patrem sive avom videbo, obtruncabo in aedibus.
Neque me Iuppiter neque di omnes id prohibebunt, si volent,
Quin sic faciam uti constitui, pergam in aedis nunc iam.

BROMIA. AMPHITRUO.

BROMIA.

Spes atque opes vitae meae iacent sepultae in pectore
Neque ulla'st confidentia iam in corde quin amiserim.

Ita mihi videntur omnia, mare, terra, coelum consequi,
Iam ut opprimar, ut enicer. me miseram, quid agam nescio.
Ita tanta mira in aedibus sunt facta; vae miserae mihi.
Animo male'st, aquam velim, corrupta sum atque absumta sum.
Caput dolet neque audio neque oculis prospicio satis.
Nec me miserior foemina'st neque ulla videatur magis.
Ita herae meae hodie contigit. nam ubi parturit, deos sibi invocat,
Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus, ut subito, ut propere, ut valide tonuit. *(v. asyn. ex anapaest. dimetr. et iamb. dim. hypercatal.)*
Ubi quisque institerat, concidit crepitu. ibi nescio quis maxuma
Voce exclamat sic: Alcumena, adest auxilium, ne time: *(iamb. tetram.)*
Et tibi et tuis propitius coeli cultor advenit.
Exurgite, inquit, qui terrore meo occidistis prae metu.
Ut iacui, exurgo, ardere censui aedis, ita tum confulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena, iam ea res me horrore afficit.
Herilis praevertit metus, accurro ut sciscam quid velit:
Atque illam geminos filios pueros peperisse conspicor
Neque nostrum quisquam sensimus quum peperit neque providimus.
Sed quid hoc? quis hic est senex
Qui ante aedis nostras sic iacet? numnam hunc percussit Iuppiter?
Credo edepol, nam proh Iuppiter sepultus'st quasi sit mortuus.
Ibo et cognoscam quisquis est. Amphitruost hic quidem herus meus.
Amphitruo!

AMPHITRUO.

perii.

BROMIA.

surge.

AMPHITRUO.

interii.

BROMIA.

cedo manum.

AMPHITRUO.

quis me tenet?

BROMIA.

Tua Bromia ancilla.

AMPHITRUO.

totus timeo, ita me increpuit Iuppiter.
Nec secus est quasi si ab Acheronte veniam. sed quid tu foras
Egressa es?

BROMIA.

eadem nos formido timidas terrore impulit.
In aedibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi. vae mihi,
Amphitruo, ita mihi animus etiam nunc abest.

AMPHITRUO.

agedum expedi.
Scin' mé tuum esse herum Amphitruonem?

BROMIA.

scío.

AMPHITRUO.

vide etiam núnc.

BROMIA.

scio.

AMPHITRUO.

Haec sola sartam mentem gestat meorum familiarium.

BROMIA.

Imo omnes sani sunt profecto.

AMPHITRUO.

at me uxor insanum facit.
Suis foedis factis.

BROMIA.

at ego faciam, tu idem ut aliter praedices,
Amphitruo, piam et pudicam esse tuam uxorem ui scias.
De ea re signa atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.

AMPHITRUO.

Ain' tu geminos?

BROMIA.

geminos.

AMPHITRUO.

di me servant.

BROMIA.

sine me dicere,
Ut scias tibi tuaeque uxori deos esse omnes propitios.

AMPHITRUO.

Loquere.

BROMIA.

postquam parturire hodie uxor occoepit tua,
Ibi utero exorti dolores, ut solent puerperae;
Invocat deos immortalis, ut sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. ibi continuo contonat
Sonitu maxumo, aedis primo ruere rebamur tuas,
Aedes totae confulgebant tuae, quasi essent aureae.

AMPHITRUO.

Quaeso absolvito hinc me extemplo, quando satis deluseris.
Quid fit deinde?

BROMIA.

dum haec aguntur, interea uxorem tuam
Neque gementem neque plorantem nostrum quisquam audivimus,
Ita profecto sine dolore peperit.

AMPHITRUO.

iam istuc gaudeo,
Ut ut erga me meriia est.

BROMIA.

mitte isthaec atque haec quae dicam accipe, *(tetr. iamb.)*
Postquam peperit pueros, lavare iussit nos. occoepimus. *(tetr. iamb.)*

Sed puer ille quem ego lavi, ut magnus'st et multum valet!
Neque eum quisquam colligare quivit incunabulis.

AMPHITRUO.

Nimia mira memoras: si isthaec vera sunt, divinitus
Non metuo meae quin uxori latae suppetiae sient.

BROMIA.

Magis iam faxo mira dices. postquam in cunas conditu'st,
Devolant angues iubati deorsum in impluvium duo
Maxumi, continuo extollunt ambo capita.

AMPHITRUO.

ei mihi.

BROMIA.

Ne pave. sed angues oculis omnis circumvisere.
Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi,
Ego cunas recessim rursum vorsum trahere et ducere
Metuens pueris, mihi formidans, tantoque angues acrius
Persequi. postquam conspexit angues ille alter puer,
Citus e cunis exilit, facit recta in anguis impetum:
Alterum altera prehendit eos manu perniciter.

AMPHITRUO.

Mira memoras, nimis formidolosum facinus praedicas.
Nam mihi horror membra misero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porro loquere.

BROMIA.

puer ambo angues enicat.
Dum haec aguntur, voce clara exclamat uxorem tuam.

AMPHITRUO.

Quis homo?

BROMIA.

summus imperator divum atque hominum Iuppiter.
Is se dixit cum Alcumena clam consuetum cubilibus
Eamque filium suum esse, qui illos angues vicerit,
Alterum tuum esse dixit puerum.

AMPHITRUO.

pol me haud poenitet,

Si licet boni dimidium mihi dividere cum Iove.
Abi domum, iube vasa pura actutum adornari mihi,
Ut Iovis supremi multis hostiis pacem expetam.
Ego Tiresiam coniectorem advocabo et consulam,
Quid faciundum censeat, simul hanc rem ut facta est eloquar.
Sed quid hoc? quam valide tonuit! di obsecro vostram fidem.

IUPPITER.

Bono animo es, assum auxilio, Amphitruo, tibi et tuis:
Nihil est quod timeas: hariolos, haruspices
Mitte omnis: quae futura et quae facta, eloquar,
Multo adeo melius quam illi, quom sum Iuppiter.
Primum omnium Alcumenae usuram corporis
Cepi et concubitu gravidam feci filio.
Tu gravidam item fecisti, quom in exercitum
Profectus, uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro qui est susceptus semine,
Suis factis te immortali afficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi: haud promeruit, quamobrem vitio verteres.
Mea vi subacta est facere. ego in caelum migro.

AMPHITRUO.

Faciam ita ut iubes, et te oro, promissa ut serves tua.
Ibo ad uxorem intro: missum facio Tiresiam senem.
Nunc, spectatores, Iovis summi causa clare plaudite.

COMMENTARIUS
IN
PLAUTI AMPHITRUONEM.

De Amphitruonis Plautinae mythologicis et argumento legenda est commentatio Osanni de Plauti Amphitruone in museo Rhenano anni 1834, II, 3, p. 305 sqq., qui demonstrare studet hanc fabulam Plautinam nec ex Epicharmo depromptam esse (sic praeter alios A. Guil. Schlegelius), nec ex genere hilarotragoediae Rhinthonicae fuisse (sic Eichstaedtius, Neukirchius, alii), nec ex Archippea fabula Amphitruone conversam, sed ad normam et exemplar mediae, quae dicitur, Graecorum comoediae confectam esse, ita tamen ut nonnulla ex Archippea Amphitruone ab eo reciperentur. Ladewigius in commentat. de canone Volcatii Sedigiti p. 23. sq. et in adnotatt. ad Casinam in mus. Rhen. 1844. III, 2, p. 184 eorum opinione, qui ex Epicharmo vel Rhinthone fabulam Plautinam repetitam esse putant, refutata, eam aut ex Alcaeo vel Archippo vel Anaxandride aut ex recentioris comoediae poeta depromptam esse verisimilius existimat. Idem Ladewigius in mus. rhen. l. l. Amphitruonem anno a. Chr. n. 195 (a. u. c. 559) primum in scenam productam esse probare studet, quod tamen Ritschelius in parergis Plaut. p. 232. adnot. admodum incertum et dubium esse putat. Ipse Ritschelius p. 232 sq. tantum hoc admodum probabili argumentatione efficit, cum eo prologo, quem nunc habemus, Amphitruonem iam paulo post annum a. u. c. 607. actam esse posse.

ARGUMENTUM I.

V. 2. *Telebois.* Erant Teleboae Acarnaniae populus, qui deinde sec. Apollodor. II, 4, 5. (v. Osann. l. l. p. 308) duce Taphio, Mestoris et Lysidices filio vicina insula Tapho potitus est. Vid. Strabo l. x, c. 2, p. 343. Tauchn. et Plin. hist. nat. IV, 19.

ARGUMENTUM II.

V. 1. *Alcumenâs.* Exempla genitivi antiqui in *as* habes ap. Priscian. VI, 679. ex Livio Andronico in IV. l. Odyss.: atque *escas*

habemus mentionem et ex Naevii bello Pun. I. I: ei venit in mentem hominum *fortunas*.

V. 2. Attingit hunc locum Ritschelius in ind. schol. Bonn. 184 1/2 p. VIII, sequentem autem versum commemorat ibid. p. IX. sq.

PROLOGUS.

Quem hic prologus habeat auctorem, dubium esse dicit Ritschelius in parergis Plaut. p 215. Idem p. 227. et in praegressis septimo saeculo eum conscriptum esse docet.

V. 1. Protasis huius longissimae enunciationis spectat usque ad v. 14, quem deinde sequitur apodosis v. 15: *Ita huic facietis* cett. Versus 11. et 12. per parenthesin inserti sunt, quapropter perspicuitatis causa v. 13. iterum paucis complectitur et repetit quae antea dixit: *Haec ut me voltis* cett., oratorum more, qui item in longioribus enunciationibus nonnulla eorum vocabulorum quae antea posuerunt, repetunt, additis fere vocibus *inquam*, *ergo*, *igitur*, *sed.* Similiter I, 3, 36 — 38. *tibi* propter longam enunciationem praegressam repetitum est. Sententia est igitur: Quemadmodum vultis a me vos bonis affici, sic etiam vos pro hisce bonis gratiam nunc mihi referte eo, ut huic fabulae faciatis silentium. *Vos* est accusativus pendens a verbo *adficere*, *me* subiectum enunciationis pendens a *vultis*, *laetum* non coniungendum est cum *lucris*, sed est appositio verbi *me*, et *lucris* coniungendum cum *adficere*. Optime haec explicat Lambinus. Recte autem I. Gulielm. docuit *laetum* de diis idem esse quod *propitium*.

V. 5. *Bene expedire voltis*. Iterum mente addendum est *me*.

Peregrique. Sic V. C. initio, postea *peregreque*. *peregri* etiam Pal. quart. et supra lin. primus, item teste Taubm. omn. edd. vetustiores, ut ed. princ., Grut., Meursius ex suis edit., qui illud Charisii (p. 86. et p. 189. Putsch.) affert: *Peregri in loco*, *peregre ad locum significat*, de quo discrimine fortasse ficto vide etiam Pareum in lexic. Plaut. h. v. et confer Amph. I, 1, 201. 9. 210. et II, 2, 217, quibus tribus locis motum a loco significat. Vulg. *peregre*.

V. 6. *Bonoque*. Ita V. C. et Pal. quart.; ed. princ. *Bono*. Obiectum v. *auctare* est in v. seq.: *Quasque incepistis res* cett.

V. 7. *que — que*. Sic I, 1, 17. Cist. II, 1, 48: Nisi ego te*que* tuam*que* filiam me*que* hodie obtruncavero.

V. 9. Offendit in hoc versu non quidem omissio v. *ut* ante prius verbum *afferam*, nam huius omissionis exempla allata sunt a

Balbachio observ. crit. in loc. quosd. Plaut. p. 39. et 55, (conf. Amph. I, 3, 26. II, 1, 77.) sed quod ad alterum verbum *nunciem* haec coniunctio addita est. Etiam versus claudicat, nam hiatus quem Lindem. post v. *afferam* statuit, non est legitimus. Quare levi mutatione scribendum puto:

Me afficere voltis, ut ea afferam, ea ut nunciem,

aut: Me afficere voltis, ea ut afferam, ea ut nunciem,

aut: Me afficere voltis, ut ea afferam, ea nunciem,

aut: Me afficere voltis, ea ut afferam, ea nunciem.

V. 11. Ed. princ. omittit *id*.

V. 12. Sec. Par. V. C. et omnes Pall. *nuntiis ut*, sed Grutero teste v. *ut* ab omnibus codd. abest. De omissione v. *ut* vid. ad v. 9. *Mihi ab Dis* Ald. *Mihi esse ab Diis* Par., ed. Cothen. a. 1619, Grut., Boxhorn., Gron., *nuntIs ut praesim* Par. *nunciis praesim* Lindem. *Mi* etiam Kampm. de *ab* praepos. usu Plaut. p. 17. 33, quod versus requirit; idem scripsit etiam *dis*.

V. 14. De significatione vocis *adprobare* vid. Lamb. et Gronovium ad h. l.

V. 16. *arbitri* sunt *iudices* fabulae, qua significatione voc. accipiendum esse ipsa epitheta *aequi* et *iusti* docent. Spectatores eo quod spectant, iudices sunt fabulae quae agitur, sententia est igitur: aequum et iustum de hac fabula facietis iudicium. Sic ad ipsum spectatorum *iudicium* provocatur a Terentio in Eunuchi prol. v. 29: Id ita esse vos iam *iudicare* poteritis, in Heaut. prol. v. 12: Vostrum *iudicium* fecit: me actorem dedit. Ipsum *arbitrii* vocabulum est ibidem v. 25:

Tum quod malevolus vetus poetae dictitat
Repente ad studium hunc se adplicuisse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium vostrum, vostra existimatio
Valebit.

In prol. Adelph. v. 4. est:

— vos eritis *iudices*,
Laudin an vitio duci factum id oporteat.

Hec. prol. II, v. 47: Mea caussa *caussam accipite*, quae est item vox forensis et iudiciaria.

V. 17. *Nunc cuius iussu venio et quamobrem venerim, Dicam.* De causa indicativi in interrogationibus obliquis apud comicos optime inter recentiores exposuit Haasius ad Reisig. gramm. lat. p.

597, adnot. 504. Nostro loco utraque constructio, cum ind. et conj. coniuncta est. Similiter Cist. I, 1, 59: eloquere — Et quid tibi *est* et quid *velis* nostram operam. Most. IV, 2, 53: Scio qua me ire *oportet* et quo *venerim* novi loqui. Terent. Andr. IV, 1, 25:

— Ah nescis quantis in malis *verser* miser,
Quantasque hic suis consiliis mihi *confecit* sollicitudines
Meus carnufex.

V. 19. V. C. et Pall. quinque *MercurI.* Pal. quintus *Mercurio.* — *Mercurii* Ald., Par., ed. Cothen., Grut., Boxhorn., Gron. Sed cf. ad I, 1, 5. *Mercurio* iam ante Lambinum quidam. Initio huius versus altera syllaba vocis *Iovis* est corripienda, ita ut *Iovis ius* — efficiant anapaestum, qua de re vid. praeter alios Reinhardt. ad Terent. p. 217. Sic III, 2, 36: *hunc.* I, 1, 182: *hinc.* prol. v. 81. II, 2, 80: *ille.* II, 2, 42: *illi.* prol. v. 144: *illic.* II, 2, 91: *istuc.* I, 1, 4: *inde.* III, 4, 17. *optume* est pro anapaesto. II, 2, 114: *quippe.* III, 2, 8: *satisfaciat.* prol. v. 125. et alibi *exercitum.* III, 2, 58: *voluptates.* II, 2, 29: *hic quidem est.* III, 3, 9: *id ioco.* IV, 2, 1: *ad foris.* III, 2, 66: *apud legionem.* II, 2, 142: *habet paterum.* prol. v. 79: *habet favitorum.* II, 1, 30: *tenet. Nam.* I, 3, 8: *quidem meus.* II, 2, 118: *quidem praesente.* prol. v. 27: *minus quam.* III, 2, 22: *Nimis verecunda.*

V. 21. Sine distinctione Ald.; post *tametsi* dist. Gronovius in adnot. — Lambinus et Grónovius coniungunt *pro imperio* cum *dictum foret*, sed est cum *facturos* coniungendum, in Gemässheit der Obergewalt, die er, wie ihr wisst, über euch ausübt. Cum quibus cohaerent iisque opposita sunt quae dixit, eum orare velle populum, ita ut sententia sit: Quamquam bene cognitum habet, nihil sibi opus esse nisi imperare, quoniam pro eo, quo eius tenemini summo imperio, omnia, quaecunque imperaverit, vos iam facturos scit, tamen nunc vult orare.

V. 22. *quippe qui intellexerat.* Part. *quippe* sequente relativo apud Plautum uno tantum loco, quod sciam, cum conj. coniuncta est, Asin. I, 1, 52: *Quippe qui* mage amico *utantur* gnato et benevolo; ceteris locis ind., ut Bacch. III, 1, 2: *quippe quoi* nemo *advenit.* Truc. I, 1, 49: *quippe qui* certo *scio.* Aul. II, 5, 22: *quippe qui* Ubi quid surripiat (sic V. C.), nihil *est.* Epid. III, 2, 32. Amph. II, 2, 114. Rud. II, 3, 53.

V. 23. *vereri vos se et metuere.* Neque alii optimi quique scriptores neque comici vitant in constructione accusativi cum inf.

concursum accusativorum subiecti et obiecti, ubi nulla est ambiguitas. Poen. V, 4, 40: quia me amare hanc scit. Cas. II, 4, 1: te uxor aiebat tua Me vocare. Asin. II, 4, 78: erum nos fugitare censes? ubi sequor interpretationem Lambini *fugitare* frequentativum verbi *fugere* existimantis, quae optime convenit cum v. 73, ita ut *fugitare* fere idem sit quod *timere*. Capt. I, 2, 64. 68. III, 4, 54. Poen. III, 3, 61. Aul. IV, 1. 7. Amph. I, 2, 5. III, 1, 20. 2, 51. Terent. Phorm. I, 4, 22. II, 1, 59. Hec. V, 1, 7. 2, 6.

V. 26. *Etenim* cett. Iam ipsa causa, ob quam nunc Iuppiter non imperare sed orare et petere precario voluerit, patefit, nam non est ille Iuppiter verus Iuppiter, sed modo histrio, qui Iovis partes agit.

V. 30. Pall. 1 et 2: *At*, ceteri omnes *Atque*. — *At* ex cod. Sur. Lindem., sed quae dicit ad defendendam hanc lectionem, oppositionem quandam esse in assumptione, quasi dixisset: non ille solum, verum etiam ego metuo malum, nimis sunt arguta, nam oppositio ista est iam in v. 27: *Non minus quam vostrum quivis formidat malum.* Docet Lingius in quaest. Plaut. p. 65, *quoque etiam* semper subiecto adiici nullo verbo intercedente. cf. v. 81. I, 1, 130. 310. II, 2, 71: Etiam tu quoque. v. 86. 122. Pseud. IV, 1, 22. Epid. II, 2, 50. Menaechm. V, 9, 98. Pers. IV, 9, 7: Te quoque etiam. Truc. I, 1, 76: Cum ea quoque etiam. IV, 2. 18: Thetis quoque etiam. ib. 4, 22: tibi quoque etiam. Trin. IV, 3, 41: illis quoque abrogant etiam fidem. Terent. Hec. V, 1, 8: Ego pol quoque etiam timida sum. v. 36: ego quoque etiam credidi. Nonnullis locis inverso ordine est *etiam quoque*, Asin. II, 4, 95: atque etiam tu quoque ipse. III, 2, 21: etiam tua quoque malefacta. Pseud. I, 1, 120: etiam matrem quoque. 3, 119: etiam consultis quoque.

V. 32. *Pace advenio*. Sic V. C., Pall. praeter quintum, Acidal. — *Pacem advenio* ed. princ., Schegkius, Lindem. — In sequentibus post *et* inserunt *pacem* Ald., ed. Cothen., Par., Grut., Boxborn., Gron., quod delendum, cum non reperiatur in Pall. Ablativus modi *pace*, qui adverbii instar est, nullo apposito adiectivo rarior quidem est, sed non plane sine exemplo. Sic affert Düntzerus ad Liv. Andronic. p. 80. *voluntate* ex Plauto et Terentio, ut Stich. I, 2, 2. Simile est *numero*, de quo vid. Rost. comment. Plaut. p. 187. sqq. (praeter ceteros locos cf. Cas. III, 5, 21.) et Klussm. ad Naev. p. 192. Adde Poenul. V, 4, 53: Sed ut *astu* sum aggressus ad eas! Rud. IV, 2, 5: *salute* horiae et ad h. l. Douza.

Caecil. Stat. fr. 6. Hymnidis Both.: Sine senectutem suam ducat usque ad senium *sorbilo* = cum ploratu, infeliciter. Similis est simplex abl. temporis nulla addita praepositione Most. II, 1, 34: Sicut ego adventu patris nunc quaero quid faciam miser. Ablativum *pace* autem, qui est nostro loco, recte explicat Haasius ad Reisig. gramm. lat. p. 713, item Kruegerus gramm. lat. §. 396. cf. p. 506. adnotat. 4). Quod autem ad verbum *adfero* ex praegresso *pace* iterum mente repetendum est *pacem*, non potest offendere, cf. Cato R. R. c. 5: *Familiae* male ne sit, ne algeat, ne esuriat, opere bene *exerceat* (mente adde: *eam*). Similiter Terent. Adelph. I, 2, 65: Verum si augeam Aut etiam adiutor sim eius iracundiae.

V. 33. *oratam.* sic Pal. quart. et V. C. et excerpta membranacea Pall., ed. princ., Camer., Lamb.; pro quo *oratum* habent ceteri Pall., codd. Frising., Sur., Gu. uterque, I. Gul., Par., ed. Cothen., Grut., Boxhorn., Gron., Lindem., Kampm. de *ab* p. 10, quod quamquam ex antiquo dicendi genere optime ferri possit, tamen non recedendum puto ab auctoritate V. C.

V. 34. *ab iustis.* Sic V. C. et Pall., Gron., Kampm. de *ab* p. 17. Acidalius *Nam iuste ad iustos iusti s. o. d.*

V. 35. *impetrari.* sic V. C., Pal. sext., cod. Fruterii, ed. princ., Par. in ed. II; *impetrare* Par. in ed. I, Douza, ed. Cothen., Boxhorn., Gron., Lindem., Kampm. de *ab* p. 12.

V. 37. *illi iniqui.* Sic Pall. omn., pro quo V. C. *nulli*, quod Pareus in ed. II. probat, ut *nulli ignorant* geminata negatio sit quae affirmet, quod est contra omnem usum loquendi.

V. 38. *Omnes quae loquar.* sic cod. Cam.; *animum ad ea quae* codd. Pall., Sur., ed. princ., Ald., Fruterius, Lindem.; *an. omnes ea quae l.* Par., ed. Cothen., Grut., Boxh., Gron. Bothius et Lindemannus posteriorem syllabam v. *loquar* pro vi litterae *r* productam esse statuunt, quam tamen rem admodum artis finibus circumscribendam esse demonstravit Lingius in quaest. Plaut. p. 46 — 50. Nostro loco, ut Amph. II, 1, 9. non syllaba posterior v. *loquar* producta, sed hoc vocabulum tribus syllabis pronunciandum est. Similiter *qŭam* I, 3, 9.

V. 41. *ut — fecissent* παρενθέτως Ald. et Meurs., *alias* Fruter. verisim. 2, 20; *alios* etiam Kampm. de *in* praepos. usu Plaut. p. 4.

V. 42. Commemorat hunc versum Ritschelius in parergis Plaut. p. 22.

V. 45. *Deorum.* Sic Pall., omnes edd. vett., Grut., Gron. *Deum* Ald., Camerarius, Par., ed. Cothen., Boxh., Lindem.; *architectus optimus* Par., *omnibus* Pall.

V. 46. *Sed mos illi n. f.* V. C. et Pall. *Sed mos nunquam illi fuit patri meo* (nisi quod Pal. quintus *meo patri*), item codd. Langg. et ed. princ. — Fruterius et Par. *Sed ille mos n.* Vulg. *S. m. n. illic.* Lindemannus autem, qui *illi* frigere dicit, vellem contulisset II, 2, 229, ubi plane eodem modo est: qui *illi* conlibitum siet *Meo viro.*

V. 47. *ut exprobraret.* Sic Terent. Andr. I, 1, 17: nam istaec conmemoratio Quasi *exprobratiost* inmemoris benefici. *Faceret boni.* Ita V. C. — Pal. 1. 2. 5. 6. et Is. Pont. *quae bonis faceret bona*, codd. Frising. *quot bonis faceret bona.*

V. 48. *Gratum arbitratur.* Sic V. C., Pall., Douza, Camerarius, Kampm. de *ab* p. 13. — Lambinus *Gnatum*, Ch. Colerus *Ratum*, Ald. *Datum.* Recte hunc locum interpretatur Gronovius. Sententia est: Gratum arbitratur id a vobis sibi relatum iri acceptumque.

V. 50. *quam ob rem oratum.* Sic V. C. inter lineas, Pal. sec. *onatum. quam rem* Ald., Par., ed. Cothen., Grut., Boxh., Gron., Lindem. Sed *orare* saepe sine accusativo obiecti absolute usurpatur, ut in formula *orare cum aliquo*, de qua vid. Lind. ad Capt. V, 1, 10.

V. 51. *Eloquar.* Ita omnes Pall. praeter quint., qui *proloquar.*

V. 54. *Eandem hanc, si voltis* cett. Lindem.: *Eadem si voltis; hanc faciam. Eadem* habent codd. Gu. uterque et Helmst. *faciam ex tragoedia Comoedia ut sit.* Sic Terent. Hec. II, 1, 14: tum autem *ex amicis inimici ut sint* nobis affines, *facis* et Andr. I, 1, 10: *feci e servo ut esses libertus mihi.*

V. 55. *Comoedia.* Pall. pr., sec. *Comoediam ut sit: omnibus etiam iisdem vorsibus.* V. C. *Isdem* et supra lin. *hisdem* (vid. de hac confusione in codd. sollemni Schneider. in adnot. crit. ad Caes. de bello Gall. l. I, c. 21, §. 3, l. II, c. 4, §. 5), quemadmodum etiam Pal. quintus, qui etiam *siet* habet pro *sit. Isdem* ed. princ., Lindem. Sed saepe in V. C. littera maiuscula *I* pro duabus *i* ponitur. cf. ad v. 92.

V. 56. *Utrum sit.* Ita V. C. et Pall. omnes. Par. et ed. Cothen. *Utrum sic; anne* pro *an non* ex cod. Guelf. I. Lindem.,

quod soloecum est, cum *anne* nunquam significationem habeat negativam. cf. Bacch. IV, 1, 4: *Utrum* aurum reddat, *anne* eat secum semul. Amph. I, 1, 22. Cas. III, 1, 1. Terent. Eun. III, 5, 8: sanus sim *anne* insaniam?

V. 59. *commista*. Lindem. de conj. *commixta fiat tragicomoedia*.

V. 63. In V. C. hi versus ita scribuntur:
Nam me perpetuo facere, ut sit Comoediae, Reges quo veniant, et Dii,
Non par arbitror. quid igitur? quoniam hic servus quoque
Partes habet, faciam, sit proinde, ut dixi Tragi Comoedia.

Maxime me quis reprehendere possit, quod in versu 59. pleniorem formam *tragicocomoedia*, in nostro autem v. 63. breviorem et contractam *tragicomoedia* ex V. C. retinendam putavi. Editores, quod sciam, omnes ad unam normam haec finxerunt, sic inter recentiores Lindem. utrobique breviorem formam posuit. Ne opus quidem est statuere alteram formam ex altera contractam esse, sed utraque a poeta ratione alterius non habita singillatim, prout versus mensura postulabat, ficta esse potest. Si quis tamen contractionem statuere malit, is multa eiusmodi contractionum exempla collecta inveniet apud Lobeckium paralip. gramm. graec. p. 43. sqq. Neque tamen rarum est, ait, ut ex duabus syllabis, *quae aut iisdem aut similibus literis constant*, una omittatur. Deinde affert praeter alia *ταρτημόριον, τέτραχμον, ἡμέδιμνον* pro *ἡμιμέδιμνον*, Lat. *semadius, selibra, μώνυχα* pro *μονώνυχα, Ἀρσινηνὸς* pro *Ἀρσινοιηνός, ἀμφορεὺς* pro *ἀμφιφορεὺς* cett. Itaque hoc volo tantum ut mihi detur, *potuisse* poetam utraque forma quamvis paucis tantum versibus interiectis uti, sed revera hoc ab eo h. l. factum esse minime volo obnixe contendere. Scio quam corrupta verba Plautina vel in Pall. codd. ad nos pervenerint, sed meum nunc est secundum eos, maxime veterem codicem haec verba, quoad eius salva eorum sententia et salva ratione fieri possit, restituere.

V. 65. Vulg. *singuli*, pro quo Pal. sextus *singula*, quod secundum Ritschelium in parergis Plaut. p. 221. adnotat. habet etiam vetus codex Orsin. in Vaticano a manu prima, quare reposui.

V. 65. *conquisitores*. per contractionem est legendum *conquistores*, v. Schneider. gramm. lat. elem. II, p. 738. cf. v. 82.

V. 65. De cavea (= *κοῖλον, θέατρον* notione strictiore, locus, ubi spectatores sedebant), quae eo tempore, quum hic prologus scriberetur, Romae fuerit, iam gradibus exstructis, vide disputan-

tem Ritschelium in parerg. p. 214. sq. 225. et de *conquisitoribus* et *subselliis* (quae erant, ut ex dictione illa *ire in subs.* sequitur, illo tempore iam fixa et immobilia) eundem ib. p. 221.

V. 67. *Fautores.* sic V. C. et Pall. sec., quint. Reliqui quattuor *favitores.* cf. ad v. 78.

V. 68. V. C. prius *iis*, deinde ex emendatione recensoris *Is.* Pall. *his*, quos sequitur Kampm. de *in* praepos. p. 4. v. supra ad v. 55. et adde Schneid. ad Caes. B. G. I, c. 5, §. 3. c. 13, §. 4. c. 28, §. 2. c. 30, §. 2. c. 32, §. 3. c. 36, §. 1. §. 5. bis. c. 37, §. 3. et aliis locis.

V. 69. *Sive qui* teste Grutero omnes codd. et edd. vett. cf. ad v. 90. et ad IV, 3, 15. Pro *ambissent* autem et v. 71. pro *ambisset* ratio grammatica postulare videtur ut scribatur *ambissint* et *ambissit.* Sic iam Lambinus eumque secuti Goellerus et Lindemannus, nisi quod etiam altero versu scripserunt *ipsi ambissint.* Versu 71. iam Fruterius scripsit *ambissit.* Sed qui Kruegeri praeclaram commentationem de consecutione temporum in oratione obliqua, quae est in secundo volumine libri eius, qui continet quaestiones de grammatica latina, accurate perlegit, non amplius soloecismum in lectione vulgata reperiet. Etenim docuit Kruegerus larga exemplorum copia ex optimis quibusque scriptoribus allata, quum perfectum, prout res cogitetur, sequi possit in oratione obliqua vel in quavis enunciatione pendente perfectum (vel praesens) aut plusquamperfectum (vel imperfectum) coniunctivi, saepissime a scriptoribus in una eademque enunciatione utrumque coniunctivi tempus simul, quamquam utrumque diversa significatione positum esse, cuius generis exempla inveniuntur adeo apud ipsum Marcum Tullium. Kruegeri exemplis his adde ea quae ipse attulit in gramm. lat. §. 653, p. 891. §. 654, p. 893. §. 656, p. 895. 897. §. 657, p. 901. Weissenbornius in syntaxi latina §. 210, adnot. 1, p. 307. §. 238, p. 394. sq. 3.) et §. 239, p. 398. in adnotatione, Etzlerus syntact. analog. I, §. 119, p. 151. et Sprach-erörterungen p. 158. Similem locum, ubi non magis opus est mutare verba, ut scripta sunt, infra inveniemus Act. I, sc. 1, v. 56. — Adde I, 2, 25 — 28. et ad h. l. Lindem. I, 1, 74. 75. II, 2, 114. 115. Pseud. III, 2, 6. sq. Asinaria II, 4, 37: Nam retineri, ut, quod *sit* sibi operis locatum, *efficeret*, ex lect. V. C. Trin. prol. 14. 15. Mil. glor. II, 1, 53 — 55. Terent. Eun. III, 5, 22 — 26. Andr. V, 6, 3. 4. Adelph. III, 2, 13 — 21. — Versus tamen noster 69, ut scriptus est, nondum omni vitio videtur carere propter duplicem hiatum,

quorum quamquam alter in hephthemimeri positus secundum Beckerum de com. Rom. fab. — quaest. p. 106. ferri possit, prior tamen non est legitimus. Facillima medicina videtur ut scribas *ambiissent* pro *ambissent*.

V. 70. Ed. princ. *Sive* pro *Seu*.

V. 71. V. C. *sive qui ipse ambissent*, Pall. *ipse ambisset*, cum tert. et sext. prius habuissent item *ipse ambissent*, ex quo consensu patet verum esse singularem. Frut. et Par. in ed. I. *Sive ipse ambissit*, sed *qui* est in omn. membranis. Ed. princ. hunc versum omittit.

V. 74. *ambiverit*. De hac forma vide Fleckeisenii exercitatt. Plaut. p. 38. — v. 64 — 74. Osannus in anal. crit. p. 177. non germanos, sed posterius demum additos et appositos esse existimat, quoniam consuetudo histriones palmis vel alio quodam modo ornandi posteriore demum tempore nata sit, cum quo consentit etiam Planckius ad Ennii Medeam p. 38. Refutare studet hanc opinionem Ladewigius in prolegom. et adnotat. ad Plauti Casinam in mus. Rhen. anni 1844. sect. 2, p. 182, adnot. 1), nisus maxime loco Livii X, 47, ubi narratur anno 294. a. Chr. (a. u. c. 460) morem palmas victoribus dandi e Graecia Romam translatum esse neque dubitat, quamquam Livius illo loco fortasse de solis gladiatorum ludis loquatur, quin etiam histrionibus palmae datae fuerint. Attamen Ritschelius in parergis p. 229. sqq. parum cautum hoc esse dicit, quae de ludis in circo valuerint, etiam ad scenicos ludos nullo alio documento allato transferre. Sed quamquam argumento ex loco Livii petito uti nos posse negat Ritschelius ad demonstrandum iam Plauti aetate morem histriones victores palmis ornandi exstitisse, tamen ex ipsius Plauti Trinummo III, 2, 83. sqq. argumentum, quo hoc certum fit et extra omnem dubitationem ponitur, affert.

V. 73. sqq. De severitate in ambitum adhibita in rep. Romana, cuius h. l. mentio fit, vid. Ritschelium in parergis p. 232. adnot. *)

V. 78. sq. Codd. teste Pareo *favitoribus*, *favitorum*, teste Grut. *fautoribus*, *fautorum*, et sic etiam ed. princ.

V. 80. *illis*. Sic V. C. et Pall. Solus tertius *in illis*.

V. 81. Ut versus stet, antiquissimas edd. secutus inserui *ille* post *mihi*. Lindem. cod. Sur. secutus scripsit: *Hoc quoque etiam mi in mandatis dedit pater*.

V. 84. Vulg. *placeret — fecissent.* V. C. et ed. princ. *placerent — fecisset.* Pal. 1. 3. 5. 6. *placeret.* Pal. 2. *placerent.*

V. 85. Vulg. *Eis.* Pall. et ed. princ. *Eius.*

V. 90. In *Iovem* littera *v* in loquendo suppressa et ambae vocales synaeresi in unam contrahendae sunt. v. Schneid. gramm. lat. elem. p. 362. prol. 69. (Sive). 78. I, 1, 2 (iuventutis). III, 3, 24. IV, 3, 15.

V. 91 — 92. Vide de his versibus Ladewigium l. l. p. 184.

V. 92. V. C. teste Pareo *Is*, non *iis*, sed littera maiuscula *I* in V. C. saepe pro geminata littera *i* scribitur, ut infra saepius videbimus. cf. ad v. 55. I, 1, 220. II, 2, 106. 176. Etiam ed. princ. habet *is*, vulg. *eis.*

V. 95. *vos* inserui secutus Lamb. et Lindemannum, ut versus stet. In Pall. deest.

V. 96. In *argumentum eloquar* hiatus est legitimus post finem primae dipodiae trochaicae, qua de re vid. Lingium l. l. p. 5. sqq.

V. 97. *Thebae.* Sic V. C. et Pal. tert. a. m. sec., ceteri Pall. *Thebe.*

V. 99. *Electri.* proprie Electryonis. vid. Rost. commentatt. Plaut. p. 12.

V. 100. Commemorat hunc versum Ritschelius in parergis Plaut. p. 22.

V. 101. Versus ratio postulat ut scribatur cum Pal. 2. et vulg. *bellum est* pro eo, quod est in V. C. et Pall. quinque et ed. princ.: *est bellum.*

V. 103. V. C. *Alcumenam u. f.* Frut. *f. u.*, quemadmodum etiam Ritschelius in parergis Plaut. p. 22. emendandum censet hunc versum. Hiatus enim qui est in fine primae dipodiae trochaicae quamquam ferri posset, tamen emendatio, qua vitatur, in hoc versu nimis in promptu est.

V. 104. *credo iam.* sic V. C. et Pall. quinque, secundus v. *iam* omittit, quem secutus est Lindem., ut versum restitueret; sed in v. *pater* prima vocalis in loquendo est supprimenda et lectio vulgata retinenda. Eodem modo *velis* II, 2, 72. *tibi* ib. v. 87. *pedem.* v 102. *nisi* v. 162. Fortasse tamen cum Bothio transponendum est *meus pater*, quo ordine his vocabulis item senarius iambicus finitur I, 2, 15. prol. 44. 135, in meeio senario sunt ib. v. 112. 120. 139. *meo patri* ib. v. 144.

V. 107. *occepit*. Sic V. C. Pal. quintus *coepit*. — *virum* V. C. teste Par., *viro* omnes Pall. et ed. princ.

V. 109. *Itidem* scripsi ex conj. Lindem. pro vulg. *is eam*, quod est in codd. quidem, sed nimis frigidum, quum pro eo exspectetur potius *et pariter gravidam fecit*, quod iam antea gravida fuit.

V. 112. *meus pate.r* Ita V. C. et omn. Pall., nisi quod sext. supra lin. *hic*, quod etiam ed. princ. omittit.

V. 114. Vulgo: *Dum ille*, *quacum* cett., quae lectio est in Pal. 1, 2, 3, 6, quamque retinuit etiam Lindemannus. V. C. et Pal. 4. et 5. et ed. princ. habent *illa*, quapropter ex certissima coniectura Lindemanni scripsi: *Dum cum illa*. Schneiderus elem. I, p. 157: *Dum ille quicum volt vol. c.*, retinens hiatum.

V. 117. *servili schemâ*. Sic V. C. et Pall., cum antea in V. C. fuisset *servuli*.

V. 120. V. C. *en eccum*. *en eccum* scripsit etiam Pareus in ed. sec. nec Gruterus refugiebat hanc lectionem. Vulgo est *intus nunc est eccum*, quemadmodum habet Pal. tert. a manu peregrina teste Pareo. Fortasse exemplum coniunctionis huius insolentioris *en eccum* peti potest ex II, 2, 147, si verum est, quod ibi Lindemannus pro *Em* posuit: *En — eccam*.

V. 125. *abivit*. Ita Camerarius, Lamb., Schneiderus elem. II, p. 759, Fleckeisenius exercitatt. Plaut. p. 38. *abiit hinc* V. C. et codd. Pall. omnes testibus Pareo et Grutero, item Gronovius, quam lectionem defendit Lindemannus admisso in thesi tertii pedis hiatu, quem tamen in Plautinis senariis, nisi si fortior distinctio accedat, tolerari posse recte Fleckeisenius negat. In adnot. conj. Lindem. *hinc abît exerc*. Wasius ap. Schneid. l. l. in lect. vulg. *in* producendum statuit, item Ritterus elem. gramm. lat. p. 147, quod recte improbatum est a Schneidero. In nostra scriptura, Fleckeisenius ait, prima syllaba voc. *exercitum* corripienda, vel, si id mavis, in pronunciando devoranda est. cf. prol. v. 140. I, 3, 6.

V. 134. *Alcumenae. illa*. vulg. *Alc. at illa*, sed *at* in nullo est cod. Pal. nec in ed. princ., quapropter Lindem. recte omisit. Hiatus est legitimus in *Alcum*. et *illa* in fine primae dipodiae trochaicae. Heineckius in collectaneis ad Plauti novam editionem pertin. in allgem. Schulzeitung 1829, Abth. II, nr. 74, p. 613. et Schneiderus Formenl. p. 23. verisimile putant scriptum esse a Plauto *Alcumenaï*. cf. I, 1, 216. II, 2, 190. I, 1, 145.

V. 137. V. C. et omn. Pall. *sit donis*, sed propter vitiosam

caesuram Beckerus l. l. p. 108. emendat hunc versum una vocula transposita ita: *Quo pacto donis sit donatus plurimis*, recte, opinor.

V. 141. *Et servus*. Cam. et Lamb. addunt *Sosia*, quae tamen vox in nullo Pal. reperitur. Lindemannus hiatum in fine secundae dipodiae tolerandum censens versum intactum reliquit. Gruterus voluit corrigi: *Et servus eius cuius* cett. Ἐπέχω.

V. 143. Vulgo: *Habebo hic usque*, sed *hic* in nullo codd. Pall. nec in ed. princ. reperitur (sec. Heineckium l. l. additamentum est Pyladis), quapropter etiam recte ab Heineckio et Lindem. omissum est. In *habebo* est hiatus legitimus. Kampm. de *in* p. 12. *hic* retinuit.

V. 142 — 147 attingit Beckerus l. l. p. 93.

V. 149. Hiatus non est in vv. *portu illic*, ut Lindem. statuit, sed legitimus in vv. *laterna advenit*.

V. 151. *Adest*, *ferit*. Retinui vulgatam, quam Castalionis ratione defendendam puto, cum, ut ait, ad Sosiae adventantis celeritatem et cupiditatem sese in aedes domini recipiendi exprimendam mirifice pertineant duo illa verba *adest*, *ferit*. Licet enim nondum propius accesserit neque fores pulsaverit, tamen Mercurio trepidanti ne quid tale accideret, adesse iam Sosia et pulsare videbatur. Palmerius, quoniam Sosia nusquam adierit, sed antea a Mercurio vapulaverit, primus scribendum proposuit *Adeste, erit operae pret.*, quem secutus est Lindem., fortasse recte. Sed quid Lindemannus dicat de hiatu, qui sit in v. *pretium*, ad quem vitandum scribi posse *spectatoribus*, equidem non intelligo. *Ferit* habent codd. Pall. et Vatt. teste Pareo. Hermannus apud Beckerum l. l. p. 106. sq. hos duos ultimos versus ita emendandos censet:

Adest: fert operae pretium, his inspectantibus
Iovem et Mercurium facere hic histrioniam.

V. 152. *Iov. et Merc.* Sic V. C. et Pall. et ed. princ., pro quo Lambin. et Gronov. scripserunt *atque*, sed hiatus in v. *facere* in hephthemimeri est legitimus sec. Beckerum p. 106, cui assentior.

ACTUS I. SCENA I.

Multos huius scenae versus tractavit Herm. in elementis doctrinae metr. p. 393. 459 et alibi. Priores sex versus sunt iambici tetrametri acatalecti. cf. Hermann. l. l. p. 103.

V. 1. Vulgo: *aut qui me confident.*, sed *me* abest a V. C. et Pall. omnibus et ed. princ. omisitque etiam Lindem.

V. 2. In voce *iuventutis* littera *v* in loquendo supprimenda et ambae vocales per synaeresin una syllaba pronunciandae sunt. v. Schneider. elem. I, p. 362. prol. v. 69 *(Sive)*. 78. 90. III, 3, 24.

V. 4. *inde cras e promptaria* codd. Pall., Frising., Samb., Lang., ed. princ., Gruter. In V. C. a manu recensoris post v. *cras* additum est *quasi*. Vulg., Herm., Lindem.: *Inde cras e promptuaria*, sed vel propter lectionem illam antiquam *promptaria* restituendam putavi cum Pareo in ed. II. item antiquam, ut videtur, lectionem *quasi*, quoniam non addito hoc voc. versus pessumdatur.

V. 5. Sic hunc versum constituerunt Herm. eumque secutus Lindem. Vulg. *auxilii*, verbo *siet* in fine versus posito. Genitivi formam in *ii* apud antiquiores poetas Latinos nusquam ferri posse virorum doctorum disquisitione tandem extra omnem dubitationem positum est. v. Ritschelii parerg. Plaut. p. 16. — Non opus est autem cum Lindem. ultimam voc. *dicere* syllabam productam esse censere.

V. 7. *Hómines*. Sic V. C. et Pall., nisi quod pr. et sec. omittunt *homines* et *validi*.

V. 7. In quattuor proximis versibus secutus sum Hermannum el. p. 393. et Lindemannum anapaesticos numeros statuentes, quorum duo priores dimetri, tertius monometer, quartus paroemiacus est. Attamen invitus hoc feci, quoniam non habui quo alio modo hos versus constituerem. Invitus feci propterea, quod nonnulla in his mutanda erant contra fidem V. C.; v. 8. enim scribendum erat *itaque* pro eo, quod est in V. C.,*ita (itaque* habent Pal. sextus et primus a manu secunda), et v. 10. vv. *hospitio publicitus* transponenda erant in *p. h.*

V. 11. est dimeter trochaicus catalecticus sec. Herm. el. p. 458. et Lindem., qui sequuntur, Sotadei, attamen quinque proximi, 12 — 16, non iusti Sotadei, sed uno pede breviores, proximi veri Sotadei, vid. Herm. l. l. p. 458. sqq. et Lindem.

V. 12. *Coegit*. Sic V. C. et Pal. quint., reliqui quinque *cogit*, quemadmodum scripserunt Herm. l. l. p. 459 et Lindemannus, quo non opus esse puto, quum cum Weisio *coegit* duabus syllabis pronunciari possit. Similiter *diei* I, 1, 125. 3, 48. *sciebam* I, 1, 234. *meus* prol. 44. 112. 120. 135. I, 3, 8. *mei* prol. 31. *meo* ib. v. 126. 144. *Deus* ib. v. 53. *Deorum* v. 45. *ea* v. 80. 138. *eam* v. 113. *Eadem* v. 77. *siet* v. 106. Dubium esse potest utrum *me* referatur ad *coegit* an ad *excitavit;* utrumque fieri potest, fortasse ad utrumque referendum est, nam saepe optimi quique scriptores casum ali-

quem, qui a duobus verbis rectus esse potest, de industria inter utrumque verbum interponunt, ut aut ad utrumque referatur aut ad alterumutrum mente addatur. Sic Mil. IV, 1, 32: Vin' tu illam actutum amovere *a te*, ut abeat per gratiam, ad q. l. Kampm. de *ab* p. 25. haec habet: Videtur *a te* ad utrumque verbum pertinere, ita ut apud alterum intelligatur. Terent. Eun. II, 2, 18: hisce ego non paro *me* ut rideant. Nep. Timoleon. c. 1, §. 1: ut — patriam — oppressam *a tyranno* liberaret. Lambinus, qui *haec* explicat per *ad haec*, *me* spectare voluit ad prius verbum *coegit*. Iam quidquid statuis, verbum *cogere* iunctum reperitur et cum solo accus. rei et cum duplici accus. et personae et rei. Utriusque constructionis exempla collecta videbis apud Schellerum in lexico et apud Kruegerum in gramm. lat. §. 316. adnot. p. 422, quibus adde haec duo ex Terentio: Adelph. III, 4, 44: *Quod vos vis cogit*, et Phorm. II, 1, 8: *Etiamne id lex coegit?*

V. 13. *Ingratiis*. Sic recte pro vulg. lect. *ingratis* scripserunt Hermannus et Lindem. secundum regulam illam notissimam Bentleii ad Terent. Adelph. IV, 7, 26, nunquam apud scenicos Romanos contractis formis *gratis*, *ingratis* locum esse. cf. Ling. p. 51. et v. 220. *idem* non coniungendum cum v. *hoc*, ut sit accus. generis neutrius, sed est nom. generis masculini et referendum ad *heri*.

V. 14. *Hoc luci*. Sic V. C. — Pal. pr. et sec. *luci*, tertius *Lucis*, omisso *hoc*, reliqui tres et ed. princ. *Hoc lucis*. Grut. *hoc* accipit pro *huc*. Charisius p. 182. Putsch. falso coniunxit *hoc luci*, nam *hoc* est accus. = *ob hoc*, *ideo*, quemadmodum etiam Gruterus in alia adnotatione accipit, item Lindem. et Fleckeisen. l. l. p. 12. Similiter III, 2, 28: *id* huc revorti.

V. 15. *Opulento hom*. *Servitus opulento homini* est servitus quam quis servit opulento, ut recte explicat Taubm. *hoc servitus*. *hoc* etiam h. l. = *ob hoc*, *ideo*, sed non accus. est h. l., sed ablativus causae vel instrumenti. Pro eo sec., tert., quart., quint. Pall., item ed. princ. habent *haec*, quod receperunt Herm. l. l. et Lindem. Camerarius edidit: *Hoc magis servitus dura est*, sed Pareus v. *magis* nec in V. C. nec in Pall. nec in Frising. extare dicit. Etiam Gulielmius *magis* inserere voluit, quamquam post v. *dura est* demum.

V. 16. Hunc versum Scioppius et Gulielmius pro non germano iudicarunt. Cave interpreteris um so viel mehr unglücklich, ut comparatio quasi intercedat inter *hominem opulentum* versus praegressi et *divitem* nostri versus, quemadmodum haec intellexit

Borheckius in interpretatione huius fabulae germanica, nam *opulentus* et *dives* utrobique una eademque est persona. Potius *hoc* est simplex abl. instrum. vel causae, ut in versu praegresso. Ad *magis miser* mente addendum: *quam pauperis servus*.

V. 17. Ab hoc versu usque ad 21. sequuntur legitimi Sotadei. De *que — que* vid. ad prol. v. 7. *Assiduo* non est adverbium, sed *assiduus* est idem atque opulentus, vid. Gruterum et Palmerium ad h. l.

V. 18. *Quo* non est idem q. *ubi*, quemadmodum glossae codd. Plaut. Boxhornii, sed est abl. instrumenti, *quo* fit ut adsit opus aut *facto* aut *dicto* conficiendum.

V. 19. *Dives operis* Douza et Taubm. explicant: servis sive operariis. Sed sec. Gronovium et Lindemannum *dives operis* est qui multum operis habet faciundi atque imperandi. Lambinus, Dacieria, Rostius in interpretatione huius fabulae germanica *dives* referunt ad *dominus* tantum absolute positum et coniungunt *operis et laboris expers*, haud scio an recte. *laboris*. Ita V. C. et omnes Pall. Gulielmius *exp. et laboribus* scribit et v. *dives* prorsus delet.

V. 20. *posse retur*. Sic V. C. et Pall. Gul. *poscere Aequum p.*

V. 22. Tres proximi versus sunt bacchiaci.

V. 23. *Expetunt*. Nonius: i. e. accidunt.

V. 24. V. C. *onus est*, Pal. sext. et ed. princ. *opus est*. Pro *onus est* recte Lindem. posuit *onust*, quod elegantius est a metro quam illud alterum, quamquam etiam in mediis versibus bacchiacis anacrusis disyllaba esse potest, v. Herm. el. d. m. p. 294, qui affert hunc versum ex Plauti Aulularia (II, 1, 5): nam multum loquaces merito omnes habemur.

V. 25 — 27. Etiam hi versus sunt bacchiaci, quemadmodum rectissime eos constituit Weisius, ita ut v. 28. *Queritur* anapaestus pausam efficiat (v. eius ed. vol. II, praef. p. XXII.) Plura in his et sequentibus mutavit Lindemannus. Aliter hos versus scribit etiam Ritschelius parerg. Plaut. p. 383.

V. 29. *Sum vero verna verbero cett.* Versus est, quemadmodum sequentes usque ad v. 67, tetrameter iambicus acatalectus. Pro *verbero*, quod est in V. C., Pall. sex habent *verbo*. *Mihi* cum Lindemanno mutavi in *mi*. Lindemannus verba *sum vero* omisit, quoniam a sententia laborarent gravissime. Simul atque, quae ille de hoc loco disputat, legi, statim mihi persuasum erat verba *Sum*

vero, quae codices tuentur, esse germana, sed ab his ipsis verbis iam Sosiam iterum secum loqui pergere: *Sum vero verna verbero*, quibuscum optime conveniunt ea quae sequuntur: *Nunc vero mi in mentem fuit* cett. et admodum laetatus sum quum vidi deinceps in eadem sententia esse Rostium in comment. Plaut. p. 260. seq., quem vide uberius de hoc loco disputantem. Quod autem Lindemannus dicit, si haec verba Sosiae tribuantur, rhythmum in verbo *queritur* absurde incidi atque interrumpi, cadit illud in eam rationem versuum distinguendorum, quam ipse secutus est, non autem in nostram. Porro Lindemannus cum Aldo, Lambino atque plerisque post eum editoribus (ut Pareo in ed. I., Grut., Boxh., Gron., Kampm. de *in* p. 40) pro *nunc vero* ex Nonio p. 352. scripsit *numero*. Sed V. C. et Pall. tert., quart., quint., item ed. princ. et Cothen. habent *nunc vero m. in m. fuit*, sext. Pal. *n. v. m. in mentem venit*, pr. et sec. *et nunc m. ut i. mentem fuit*. Proborum autem codicum auctoritatem ut grammaticorum auctoritati praeferre debeamus, saepissime usu venit. Ceterum de constructione *in mentem fuit* conf. Kampm. l. l.

V. 30. De locutionibus *gratias agere* et *gratias referre* vid. Rein. quaest. Plaut. part. I, p. 15.

V. 32. V. C. *mihi*.

V. 33. *bene*. Sic V. C. et Pall. quinque. tert. *bona*, quem sequitur Lindem.

V. 34. *Sciat*. Ita V. C. et Pall. praeter sec., qui *sciant*.

V. 36. *domum*. Sic V. C., codd. Frising. et Pall. quinque, etiam quart. a manu sec., cum prius habuisset *domi*, quemadmodum scripsit Lindem. Soloece plurimi editores *victores* prava distinctione cum *legiones* coniungunt.

V. 38. *Internecatis*. Ita V. C., Pal. pr., sec., pro quo tert., quart., sext., ed. princ. *internectis*. Pal. quint. *interemtis*. Non est quod mireris Lindemannum iterum praeferre lectionem Suritani sui *internectis*, quod quanti sit vetus codex Camer. faciendus, videtur nescire.

V. 39. Sine causa Lind. pro vulg. *populo* scripsit *poplo*.

Ibid. obiecit. Sic V. C. et Pall. praeter quint., qui *adiecit*. Commemorat hunc versum, ubi de asynartetis loquitur, Hermannus el. d. m. p. 589, epit. p. 210.

V. 42. Ante *praeda* addiderunt *qui* Ald., Douza, Par., Lindem., quod non est in Pall.

V. 43. *Creoni*. Sic V. C. testibus Pareo et Scioppio, Pall. pr. et sec., quam latinam flexionem receperunt Camer. et Lindem. — Pall. 3 — 6. *Creonti*.

V. 48. Camer., Par., Taubm., Boxh. aliique scripserunt: *Nam quom illi pugnabant maxume, ego tum f.*, sed *illi* abest a Pall. et item *tum;* in solo V. C. *tum* a recensore supra lin. adscriptum est.

V. 49. v. *tamen* est in V. C. testibus Grutero et Scioppio et Pall. quinque, a solo quinto abest, unde recte Lindem. hunc locum constituit.

V. 53. Pro *primorum* solus, quod sciam, Lindemannus, nescio unde, scripsit *virorum*.

V. 56. *asportassent*. Ne offendaris hac temporum consecutione, conferas quae disputata sunt a nobis ad prol. v. 69.

Redderent Pall. et prius V. C., cum deinde duae ultimae litterae huius vocis scalpello erasae sint. *Redderent* scripsit Gronovius cum aliis, Lindem. *reddere*, quod mihi quidem videtur exquisitius.

V. 59. *Igitur* sec. Nonium h. l. pro *deinde* positum est, cf. Lindem. ad h. l.

V. 62. *Superbe* V. C. et ed. princ., quod Pareus sine causa vetere scribendi modo pro *superbi* scriptum putat, quod est in vulg.

V. 63. Ante *se* Pal. quart. *et* addit, quod abest a V. C. et ceteris Pall.

V. 64. *finibus suis*. Sic vulg., pro quo V. C., Pall. atque ed. princ. vitiose *suis finibus*.

V. 68. Ab hoc versu sequuntur cretici tetrametri, de quibus vid. Herm. el. d. m. p. 206. sqq.

V. 69. *Dispertiti viri*, *disp. ordines*. ita Pall. omnes et edd. vett. Palmerius *Distributi viri*, *diribiti ordines*. Pareus in ed. pr. *distributi viri*, *dispositi ordines*.

V. 70. Retinui vulgatam, ita ut versus sit septenarius iambicus, cuius in quarta sede sit dactylus *et modo*, hiatu admisso in v. *modo*, quoniam versus est asynartetus.

V. 71. Item in hoc versu retinui vulgatam, qui versus est trimeter iambicus. Lindemannus:

Nos nostros more nostro et modo instruximus;
Item et hostes contra legiones suas instruunt.

V. 72. *utrique*. Sic V. C. et omnes Pall. praeter sec., qui

uterque. Lind. *uterque imperator*, quem sequitur Kampm. de *in* p. 24. Vulg. *utrique imperatores.* Scripsi hunc versum sec. Lingium de hiatu p. 49. Possis etiam vulgatam retinere et versum statuere asynartetum ex trimetro cretico et versu iambico compositum. Asynartetus hic foret Bothianus quidem, sed quamquam non credibile est tot huius generis versus, quot voluit Bothius, apud Plautum reperiri, tamen fortasse optimorum codd. lectionibus accuratissime excussis nonnulli versus relinquentur etiam tum, qui tales asynarteti statuendi erunt.

V. 74. *Convenit, victi utri sint — uti dederent.* De hac varietate in consecutione temporum vid. ad prol. v. 69. Quum praesens historicum, quale *convenit* h. l. est, utrumque sequi possit, et praesens vel perfectum, et imperfectum vel plusquamperfectum coniunctivi, utraque constructio h. l. coniuncta est. cf. Caes. B. G. I, 8. ap. Billrothium synt. Lat. p. 72.

V. 76. Vulg. inverso ordine *canunt contra ἀμέτρως*, sed recte Lindem. verba transposuit.

V. 77. V. C. *clamoremque*, sed *que* abest a Pall.

V. 79. Pro *hortari* Lindem. scripsit *cohortari*, offensus hiatu in v. *suscipere*, quem sec. Herm. el. d. m. p. 207. vel propter interpunctionem optime ferri posse puto.

V. 80. Cum Lindem. ante *potest* metri causa addidi *et.*

V. 82. *ex spiritu.* sic V. C. — Pal. 1. 2. 3. 5. 6. *ex spiritus anhelitu.* Codd. Langg. *spiratu.* Pro vulg. *atque* cum Camer. et Lind. scripsi *et.*

V. 83. Pro *virium* Lindem. recte scripsit *virum.* Balbachius observ. crit. in locos quosd. Plaut. p. 3. sq. vulgatam *virium* retinet, sed versum hunc statuit esse trimetrum trochaicum catalecticum, qui tamen est durissimus et κακοφωνότατος.

V. 84. Pall. et ed. princ. *volumus*, item V. C., sed superscripta littera *i. Voluimus*, quod metrum flagitat, scripserunt Camer., Grut., Boxh., Gron., Lindem.

V. 86. Hermanno elem. p. 209, epit. p. 83. haec clausula e dimetro hypercatalecto constans suspecta est, unde corrigit: *Ferri vi vicimus.* Lindem.: *Vincimus vi fera.*

V. 87. Vulgo: *Sed fugam in se tamen n. c.*, quae vix possunt defendi a ratione grammatica. Lindem. sagaciter coniecit: *In fugam sed tamen n. c.*, quem sequitur Kampm. de *in* p. 35. Facilius etiam puto, quod exhibui, ita ut hic sit trimeter iambicus. Dubitat

Osannus de Amphitruone p. 330, num cum hoc loco comparari possit fr. 3. Archippeae Amphitruonis *ἐπενώτισεν*.

V. 89. *omittunt*. Sic V. C., Pall. sec., tert., quint. pr. *amitt.*

V. 91. Vulg. *Hoc ubi Amphitruo herus conspicatus est*, ἀμέτρως. Recepi emendationem Bothii et Lindemanni.

V. 94. Ad versum fulciendum addidi cum Lindemanno *inruunt*, quum iam Hermannus el. d. m. p. 209. suasisset *ruunt*. Sed possit tamen hoc etiam omitti, ut sit creticus catalecticus, nam quidni etiam cretici catalectici esse possint? Minime autem opus esse iudicavi clausulam *iure iniustas* cum Lindemanno plane omittere.

V. 97. Sequuntur ab hoc versu iambici tetrametri acatalecti.

V. 98. *Namque*. Sic V. C. et Pall. pr. et sec., reliqui *Nam*.

V. 101. Versus fulciendi causa pro vulg. *sua* cum Lindemanno scripsi *suapte*.

V. 102. *usque a*. Ita V. C. et Pall. tert., quart., sext.; pr. et sec. *à m. u. ad v*.

V. 103. Pal. quint. *Haec adeo;* V. C., Pal. 1, 2. 4. 6. *Hoc*.

V. 108. Solus Pareus, quod sciam, *deditionem*, reliqui *ditionem*, quod metrum postulat.

V. 109. Docet Ladewigius l. l. p. 184, adnot. 2. *pateram auream* esse τὸ σκῦφος in fr. 3. Archippi Amphitruonis.

Ib. V. C., Pall. sex, Ald., Par. *donata'st*, ed. princ. *donata est*, reliqui ut nos, metro cogente.

V. 110. Ed. princ. et Ald. *potare*, reliqui cogente metro *potitare*.

V. 112. Sequuntur iam tetrametri trochaici catalectici.

Attat. vulg. *atat;* sed ubicunque versus in hoc voc. postulat syllabam priorem longam, scribendum est *attat*, quemadmodum recte fecit Lind. cf. Capt. V. 4, 10. Curcul. III, v. 20.

ituru'st. Grut., Boxh. atque vulg. *iturus est*, ἀμέτρως, nescio unde; certe Ald. et Pareus in ed. I. habent *ituru'st;* Lind. *iturust*. Ultima v. *illi* hiatum efficit legitimum, v. Ling. p. 27.

V. 113. *huc*. Ita V. C. et Pareus. Pal. sec. *hoc*, ex quo deinde factum est *honc*. Pall. quattuor *hunc*, quemadmodum omnes editores praeter Pareum.

V. 114. Pro *eludere*, quod in omnibus est, Lind. nescio cur, scripsit *illudere*.

V. 115. *Huius* est monosyllabum ut prol. 51. 96. et *Quoius* sive *Cuius* I, 1, 224. 227. II, 1, 37. prol. 26. 141. *Eius* prol. 85.

et *me* hiatum efficit legitimum (Ling. l. l.), quapropter non intelligo cur Kampmannus in Rud. p. 27. in v. *cepi* potius hiatum esse statuat.

V. 118. *suo sibi.* De hac formula constanti vide exempla collecta a Lindem. ad Capt. prol. v. 5.

V. 120. *certo.* sic V. C., Pall. quart. et sext. Sec. *aut certe scio.* Reliqui *aut certe sciam.* Lindemannus cum Bothio v. *scio* omisit, quoniam plane otiosum videretur propter v. *credo* in versu proximo sequens, sed tamen cum Weisio retinui, qui recte dicit Sosiam esse qui hic loquatur.

V. 121. Ald. et Par. *obdormisse* recte sec. V. C. et Pall. tert. et quart., quapropter miror recentiores editores a Grutero omnes, etiam Hermannum el. p. 88, epit. p. 48. scripsisse *obdormivisse.* In ultima enim v. *obdormisse* est hiatus legitimus, v. Ling. p. 27.

V. 123. De constructione *mutat atque* ad analogiam constr. *aliter atque* ficta vid. Gronovium ad h. l. et Hand. Tursell. I, p. 472.

V. 124. Hiatus in *vergiliae occidunt* est legitimus, quem vel nomen proprium satis excusat, qua de re vid. Herm. el. p. 190. Schneider. elem. 1, p. 148.

V. 125. *Statim.* cf. Gruter. ad v. 84. [88.]; hoc loco et supra significatione primaria positum est, qua est ἱσταμένως, perseveranter, aequaliter, fixe.

Ibid. diei. sic V. C., Pall., ed. princ., pro quo *die* scripserunt Ald., Boxh., recentiores, sed nolui contra codd. mutare *diei*, quod duabus syllabis pronunciandum est. cf. 1, 3, 48 et vid. Schneid. Formenl. p. 357. Similiter *coegit* 1, 1, 12, ad q. l. vide quae collegi.

V. 127. *optumo optume* V. C. et Pall. — Ed. princ., Ald., Par. in ed. I, ed. Cothen., recentiores, nescio cur, inverso ordine *optume optumo.*

das Pall., pro quo V. C. *des*, sed retinendum *das* propter sequens *locas.*

V. 130. *vicit.* Sic V. C. et Pall. praeter quint. et sext., qui *vincit*, quod scripsit etiam Lind.

V. 132. *Mira sunt, nisi.* De hac formula et altera ab illa diversa *mirum quin* vid. Lindem. ad h. l. et cf. v. 281, ubi iterum est: *Mira sunt, nisi latuit intus*, cett.

V. 139. *complexus cum Alcumena. cum*, nisi pertinet ad *cubat*, eodem modo videtur positum esse atque in dicendi formulis

quales Lindemannus affert ad Capt. V, 1, 10: *Tecum fidem servavi*, *orare cum aliquo*, al.

V. 141. *hoc noctis*. cf. v. 12. *Non placet*. cf. Asin. II, 2, 20, 23.

V. 142. *hoc meticulosus aeque*. de adverbio *aeque* ad analogiam comparativorum cum abl. iuncto v. Haasius ad Reisig. l. l. p. 400, adnot. 401, cuius exemplis adde Most. I, 1, 29.

Ibid. quem? in mentem venit. Sic teste Grut. V. C. et Pall., nisi quod pr. et sec. post *quem* addunt etiam *mihi*, item edd. vett., Meursius, Gronovius. Mente adde: *video hoc noctis ante aedeis*, quum Sosiae oratio a Mercurio interpellata esset. Camerarius *quom in m. v.* Lindem. cum Kampm. de *in* p. 33: *mi in m. v.*

V. 145. Heineckius l. l. p. 613. affirmat in codd. et vett. edd. (sic ed. princ.) fuisse *hic me*, quod transposuisse Camerarium. Retinet *hic me* et scribi vult *pugnai*. cf. prol. 134. I, 1, 216. II, 2, 190.

V. 150. *magis mod*. Lindem. cum Kampm. de *in* p. 35, adnot. 5: *Igitur magis maiorem demum in sese concipiet metum.*

V. 156. V. C., Pall. pr., sec., sext. *em n. i. e. si colo*. tert. una dictione: *sicolo*, ut etiam quart., ubi tamen virgula vox divisa est. In quint. pro *em* scriptum est *en*. Ed. princ. *si colo*. Ald., Iunt., Camerar., Lamb. *sic volo*. Grut., vulg. *sic colo (= sic vivo)*. Secutus sum Lindem. scribentem *sic olo* = oleo, quod maxime accedit ad Pall. quodque positum est pro *prodere*, *intelligi*, *testari*, *ostendere*, *in usu habere*.

V. 158. V. C. *pugno sedet*. Pal. sext. *pugnos edet*, reliqui et ed. princ. *edat*.

V. 159. *hoc noctis*. cf. v. 12. 141.

V. 163. *pessimum'st*. V. C. *MERC. pessum est. SOS. Facimus nequit fer. m. male discit manus*. Pal. pr. plane eodem modo, nisi quod *nequiter* exprimit et vox prima mutata est in *pessimum*. sec. *fessum est facinus f. nequiter malam male discit manus*, quemadmodum etiam tertius a manu secunda, cum prius habuisset *nequitur*. quint. *pessimum e. f. n. f. m. male gliscit manus*. Ibidem tamen antea fuit *discit*. sext. *Pessimum e. f. n. f. m. discit manus male*. Palmerius *pessum ii: Facinu'st*, *nequiter f. m. male discis*, *m. Aliâ formâ e. o. q. tu*, *pugne*, *legeris*. Plura de hoc loco vid. in ed. Gruteri. — Lindemannus in v. 165. praeeuntibus Douza, Palmerio, Acidalio, Lamb. *pugne*, Douza autem in v. 164. praeterea *discis* scripserunt, uterque hic Mercurium manum suam alloqui censens. Sed non viderunt hi interpretes, se ipsum potius alloqui hic

Mercurium, quapropter nulla emendatione opus est. Ceterum recte locum interpretatur Lindemannus. *Pugno* plerique interpretum pro ablativo videntur accepisse et *legeris* a Gronovio explicatur per *percusseris*, sed simplicior mihi quidem primum haec legenti visa est ea explicatio, ut *pugno* sit dativus et *legere* vulgari significatione pro *eligere* positum indicetur. Quum haec apud animum meum statuissem, vidi postea iam Gesnerum in thes. v. *Legere* hanc interpretationem sequi, *eligere sibi vel suae manui pulsandum*.

V. 167. *Exossatum*. Sic V. C. et Pal. tert.; pr. et sec. *exoss. esse os*. in reliquis v. *os* omissum est.

V. 168. *Ne* V. C. et Pall. quatt. et ed. princ., quod h. l., ut saepe apud Plautum, pro *nonne* positum est; Pal. 5. et 6. *ni*.

V. 169. V. C. et Pall. quinque *istuc*; sextus et ed. princ. *istic*. *Ultro* significat *procul a me absit*, ut expl. Gruterus, sive: apage istuc, int. *eum*, qui exossat homines.

V. 170. *Olet homo quidam malo suo*. Similiter Aristoph. Ran. v. 560. *κακὸν ἥκει τινί* et 562: *δώσει τις δίκην*. Dubium esse potest utrum *malo suo* sit dativus commodi an ablativus qui dicitur circumstantiae. Hoc verius puto. Taubm. expl.: *magna cum ipsius poena*, vid. I. Gul. ad Asin. I, 2, 4, ubi cod. Cam. habet *malo cum tuo*.

Ibid. V. C. *Ei numquam ego oboluí*. Pall. pr. et sec. *heus nunquam olui*. sext. *numquam obolui*, omisso *hei*. Etiam edd. vett., ut princ., habent *numquam*. Hiatus est legitimus post *suo*, quoniam persona mutatur. Retinui *ei* pro *hei* cum V. C., quoniam etiam *eia* dicitur pro *heia*. Eadem interiectio etiam infra saepius ita scripta reperitur in V. C. Sic V, 1, 57. II, 2, 37. 174. Adde fr. Naev. Tarentillae 13. ap. Klussm. p. 175. Dubito num legendum sit cum V. C. *numquam* an cum aliis *nunquam*. Illud ita explicandum esset, ut Sosia, quum Mercurius cavillans dixisset aliquem (h. e. Sosiam) malo suo olere, pergens in hoc ioco diceret: mirum hoc foret, si olerem, quum tamen nunquam antea oluerim, germanice: nun ich habe doch sonst nie gerochen.

V. 171. Pall., item V. C. a manu prima *hic*, idem a manu recensoris *hinc*. Lindem. retinet *hic*, fortasse recte. Ed. princ.: *oportet. SOS. verum longe hic abfuit*, non recte.

V. 172. *superstitiosus*. Ita V. C. et Pall. quatt.; sec. et pr. *suspiciosus*, sed in pr. correctum est *superstitiosus*.

V. 173. Affert hunc locum Kampm. de *in* p. 38, qui

exercituru's. Idem *me* censet esse accusativum, sed esse potest etiam ablativus.

V. 174. V. C. *Ne.* Pall. pr., sec., tert. *ut ego h.*

V. 178. Pal. pr. *lapsus*, reliqui Pall. et V. C. *lassus.*

V. 180. *enim* V. C.; Pal. quint. *equidem.*

V. 187. *Ilicet.* V. C. *Illic et.* Ed. princ. *Illic enim.*

V. 189. Vulg.: *Igitur qui possim videri huic fortis, a me ut abstineat manum,* quae ultra iustam versus mensuram excurrunt, quapropter Bothius recte mea quidem sententia v. *a me ut* omisit. Contra Lindem. haec verba retinens v. *igitur* diserte a Pareo auctoritate V. C. comprobatum omisit, negans ab hac coniunctione consecutivum enunciatum incipere posse, quamquam ipse consecutivam vim eius esse in adnot. ad Mil. glor. III, 1, 175. affirmavit. Ego quidem nostro loco optime hanc particulam ferri posse puto, multa enim reperiuntur exempla apud Plautum, ubi *igitur*, ut h. l., in media enunciatione interpositum est et similem etiam vim habet atque nostro loco. Utriusque generis exempla afferam. Nonnulla sunt apud Schützium doctr. part I, p. 217.: Cas. II, 2, 39. sq.: Mox magis cum otium mihi et tibi erit, Igitur tecum loquar. Most. II, 1, 33. I, 2, 51. Amph. I, 2, 11: igitur demum omnes scient Quae facta. Epid. III, 3, 4. plane eodem modo *igitur* — *ut* positum est, ut nostro loco *igitur qui.* Quibus adde Asin. II, 1, 4. Merc. III, 2, 9. Aul. III, 5, 24. Amph. I, 1, 59. et nonnulla quae habet Pareus in lex. Plaut. v. *igitur.*

V. 192. Ed. princ. *servos ne.* Retinui cum Lindem. vulg.: *Servos esne an liber.*

Ibid. utcumque. Sic V. C. et Pall. pr., quint., sext. reliqui *utrumque.*

V. 193. Vulg.: *mentiris nunc iam*, sed *iam* abest a V. C. et Pall. et ed. princ. Rectum reposuerunt Bothius et Lind.: *Mentire nunc.*

V. 194. *dicas.* Sic V. C., item Pall. quart. et quint. ceteri et ed. princ. *discas.*

V. 196. *Mei*, quod habet vulg. et quod retinet etiam Heineckius l. l., recte Lindem. omisit, quum nec in Pall. nec in ed. princ. reperiatur.

V. 197. *Sceleste* V. C. et Pall. quinque; Pal. tert., edd. antiquae, Camer., Gronov., Lindem. *scelestam*, sed secutus sum V. C.

V. 190. Post *negoti* est hiatus legitimus. Ed. princ. *negocium*. cf. v. 213.

V. 201. *domi*. Ita V. C. et Langg. testibus Scioppio et Gulielmio et ad ormn Pal. tert.; ceteri Pall. *domum*. Gron. *peregre, tutatu' est domum*. De *peregri* cf. ad prol. v. 5. Apte comparat cum nostra dictione Gul. Terent. Eun. IV, 7, 10: *Solus Sannio servat domi*.

V. 203. *quam tu*. Sic V. C. — Pal. quint. om. *tu*. Reliqui Pall. et ed. princ. *quantum*.

V. 206. Vulg. *nisi hinc abis*. Reposui veram lectionem Plautinam quae mihi in adnotatione Parei latitare videtur, pro *nisi* tamen scribens *ni* et verbis *hinc abis* glossemate eiectis. Est aposiopesis vel potius oratio Mercurii a Sosia interrupta. cf. v. 209.

V. 207. In *si ego* est hiatus in soluta arsi versus trochaici. cf. v. 252.

V. 208. *me esse huius* V. C. et Pall. et edd. vett. Versus causa Cam. reposuit *Quin med huius esse*, quem secutus sum, verborum tamen ordinem, ut est in Pall., retinens.

V. 213. *quid* V. C., Pal. sec., Pareus in utraque ed., ed. Cothen., Grut., Lindem., quem vide ad v. 199. *Quod* ed. princ., Ald., Camer., vulg.

V. 216. Cum Camer. et Lindem. versus causa scripsi *audaciai*. cf. prol. v. 134. II, 2, 190. I, 1, 145.

V. 220. V. C. et Pall. *ingratIs*. Cf. ad v. 13. Littera *I* maiuscula in V. C. saepe idem valet atque geminata *i*. cf. ad prol. v. 55. 91.

V. 225. *fidi* V. C., Pall., Par., Grut. — Ald., Palmer., Meursius, Lindem. *fidem*.

V. 233. V. C. et Pall. quatt. *socium ne me esse,* eodem modo duo reliqui Pall., nisi quod v. *ne* omittunt. Camer. *sociennum*. *ne* = nae. Post *me* est hiatus legitimus.

V. 234. Pal. sec. *scibam*, sed V. C. et ceteri Pall. *sciebam*, quod duabus syllabis est pronunciandum. cf. ad I, 1, 12.

V. 237. Ed. princ. *obsecro ut per*.

V. 240. Vulg. *Dicito, si quid vis*. Emendavi locum ex coniectura Lindemanni, quam tamen ille proposuit tantum, quum ipse aliam scribendi rationem secutus sit.

Ib. tuae fidei credo? Per praesens indicativi *credo* h. l. et alibi haesitatio eius qui se ipsum quasi interrogat quid sibi faciendum sit, expressa est, quod positum est sive pro fut. ind. sive pro

praes. conj. cf. commentationem meam de enunc. interrogat. apud Plautum p. 8, ubi attuli exempla haec: Cas. V, 4, 28. Most. III, 2, 87. Poen. V, 4, 54. Mil. IV, 2, 45.

V. 245. Pall. pr. et sec., vulg. atque Lindem. *quod*, quod retinui, quamquam fortasse etiam possit retineri lectio codd. Pall. quattuor, quae eadem est editionis principis: *quid tibi libet? fac*, ut haec per interrogationem efferantur. was beliebt dir? thue es.

V. 247. V. C., Pall. pr., sec., quart. *vivos*. Pal. quint. et a manu secunda tertius *Tu me vivo h.*

V. 250. Retinui vulgatam *ieram*, quamquam Lindem. et Kampm. de *in* p. 31. scripserunt *iveram*, ut versui succurreretur. Versus in lect. vulg. est trimeter iambicus, qualem inter medios trochaicos iam habuimus v. 226.

V. 252. *sum ego.* Ita V. C. — Pall. pr., sec. *non ego servus*, om. *sum*. tert., quart., sext. *nónne ego s.* De hiatu in soluta arsi versuum iambicorum et trochaicorum admittendo dubium amplius esse non potest, nam nimis multa exempla apud Plautum et Terentium forent emendanda. cf. v. 207. v. 273: *Iam ego hunc.* II, 1, 47: *dum.* Capt. II, 2, 42. Exempla vides collecta a Schneidero gramm. lat. elem. I. p. 156. sq., quapropter non opus est cum Weisio verba transponere *non ego sum*, quae facillima sane fuerit medicina, si fugias hiatum.

V. 253. Teste Grutero ad v. 252. *huc* non est in codd. nec vett. edd. (sic non est in ed. princ.). Vulg. *Nonne hac noctu nostra navis huc ex portu Persico.* Emendationem secutus sum Heineckii l. l. p. 613. sq., qui dicit *huc* a Pylade primum invectum esse. De portu Persico vid. Rost. in diss. de Plauti auctoritate ad fac. rer. ant. fidem p. 7, Osannum l. l. in mus. Rhen. p. 306. sq. atque Lindemannum ad. h. l.

V. 255. Vulg. *Nonne ego nunc hic sto.* Alterum utrum, aut *nunc* aut *hic* propter metrum omittendum est. *Nunc* omisit Lindem., *hic* om. ed. princ., quam secutus sum.

V. 256. Ed. princ. *nonne hic.*

Ibid. Vulg.: *non hic homo modo me p. c.?* Iterum alterutrum vocabulum, aut *homo* aut *modo* omittendum est. *Modo* omisit Lindem., sed malui *homo* omittere, quoniam *modo* confirmatum est auctoritate V. C. et Pall.

V. 257. Scripsi hunc locum ex coniectura admodum probabili Bothii: *nam etiam misero misere*, quoniam etiam Guelf. habet

misere. Amat Plautus hanc coniunctionem similium vocabulorum. cf. prol. v. 34: *Nam iuste ab iustis iustus sum orator datus* et ad h. l. Lindem. I, 1, 127: *Optumo optume optumam operam das.*

V. 259. *vostram* V. C. et Pall. quart., quint. ceteri *nostram.* Ed. princ.: *Qui domum nostram?*

Ibid. *Quin quae* V. C., pro quo Pall. habent *quaeque*, quod videtur pro *quaecunque* positum esse, quod habent codd. Langg. et ed. princ.

V. 260. Vulg. *Sosia Amphitruonis sum.* Bene Bothius emendavit: *sum Amphitruonis Sosia*, quem secutus est Lindemannus.

V. 263. In cod. Cam. scriptum est: *.VI. pugn.* Pall. *in expugn.*, quint. *expugn.* omisso *in.*

V. 267. *Est datum.* vulg. *datum est.* Transposuerunt recte Lind. et Kampm. de *ab* p. 17.

V. 269. Ante *in cistula*, quod est in vulg., *est* inserit Douza, quod nec in V. C. nec in Pall. extat. Quapropter levi mutatione cum Bothio, Lindemanno, Kampmanno de *in* p. 4. scripsi *in cistellula*, quae item versum concludunt II, 2, 142.

V. 272. V. C. *vicit.* Pall. sex et edd. primae *vincit*, quod etiam Camerarius praeferebat.

V. 274. *Nam quod egomet solus feci nec quisquam alius affuit — id quidem hodie nunquam poterit dicere.* Secundum membrum *nec — quisquam* ita potius adiunctum exspectares: Nam quod egomet solus feci et ita ut nemo adesset, id cett. Sed ut appositum est, aut παρενθέτως est accipiendum aut zeugma pronominis relativi est statuendum ad alterum membrum alio casu mente repetendi, de qua re vid. Rudd. inst. gramm. II, p. 27. Kruegeri gramm. lat. p. 748, ita ut dictum sit pro: Nam quod egomet solus feci et *cui* nemo alius adfuit — id — nunquam poterit dicere.

V. 278. Comparat cum hac hirnea Ladewigius l. l. p. 184, adnot. 2. ἀσκοθύλακος, quod est in fr. 7. Amphitruonis Archippeae.

V. 279. Pal. sec. *Eam ego ut in rem fuerat natum.* sext. *ut matri f. natum.* pr. *Eam matre ego ut f. n.*, sed vox *matre* est a manu recenti, quae priorem vocem eraserat. Gulielmius: *vini eduxi eram meri*, h. e. heram vini, lagenam vino differtam. Scripsi hunc locum ex coniectura mea. Quum codd. Gulielmii *eduxeram eri*, Langg. *meri* exhibeant, facile inde *irneam* sive *hirneam* elicere potes. Multum facit ad hanc coniecturam probabilem reddendam, quod etiam in v. seq. iterum est: *ut ego*

illic vini hirneam ebiberim meri. Possis etiam scribere *plenam meri.*

V. 281. *Mira sunt, nisi latuit intus.* cf. v. 132.

V. 286. *credet.* Sic V. C. et Pal. quint. et excerpta codd. — pr., sec., tert. *credere.* Ingeniosam hunc locum interpretandi rationem excogitavit Balbachius l. l. p. 5. sq., dicens *iniurato* Mercurium dicere, quoniam, quum per Mercurium, h. e. per se ipsum iurasset, hoc idem fuisset ac si omnino non iurasset. Sed simplicior tamen mihi alia ratio videtur. Iam Weisius docet exemplis allatis frequenter apud Romanos *iuratum* et *iniuratum* sibi opponi. Iam hanc sententiam in hoc loco inesse puto: Vel iniurato (h. e. si non iuravissem) mihi plus Iuppiter crederet quam tibi iurato, quanto magis nunc mihi plus credet quam tibi, quum ipse quoque iuraverim!

V. 288. *Sosia nolim esse.* Ita omn. codd. et edd. vett. Gruterus volebat transponere *Sosia esse nolim*, et negari non potest hac facili permutatione versum multo suaviorem fieri quam si cum Kampm. in Plaut. Rud. p. 5. et Lindem. vulgatum ordinem retineas.

V. 292. *consimil'est atque ego.* Vocis *dissimilis* cum part. *ac* sive *atque* coniunctae exempla nonnulla sunt ap. Reisig. gramm. lat. p. 417.

V. 295. V. C. et Pall. quinque *cicatricosum.* Pal. sec. *cicatricosus.*

V. 296. *Sed quom* Pall. omn., Pal. sext. *sed cum ego c.*

V. 303. V. C., Pall. fere omnes atque ed. princ. *lumbifrangium,* quod dubito num rectum sit.

V. 309. *ut* V. C., ed. princ. Vulg. *uti.*

V. 311. Scripsi cum Lingio l. l. p. 52. *Uti* pro *ut,* ut hiatus admittatur in *uti ego.* cf. Schneid. elem. I, p. 147.

ACTUS I. SCENA II.

V. 4. *Iam.* ed. princ. *Nam.*

V. 6. Particula *adeo* h. l. vim procliticam habet, spectat enim ad *mentiri,* de qua vi et omni omnino huius particulae usu egregie disputavit Kleinius in Zeitschrift für die Alterthumsw. 1841, nr. 154, p. 1303. sqq.

V. 13. Hiatus est post primam dipodiam trochaicam versus iambici et *concordiam* tribus syllabis est pronunciandum.

V. 16. Pall. *iam sedit.,* sext. *Ipsam sedit.* Ed. princ. *Iam seditionem illi in.*

V. 25. sq. *curavit.. ut.. fieret.. absolvat.* De hac mutata consecutione temporum vide quae a nobis sunt disputata ad prol. v. 69. et Lindem. ad h. l.

V. 28. V. C. et Pall. *suspicio.* Scripsi cum Scioppio et Lindem. (quem vide) *consuetio.*

V. 33. V. C. *suamque ut c.* Vulg. *Suamque culpam expetere in mortalem ut sinat.*

V. 35. Ed. princ. *subditicius.*

V. 36. De hiatu qui est in thesi in vv. *cum Alcumena* vid. Schneid. elem. I, p. 157. et Lindem. ad h. l.

ACTUS I. SCENA III.

V. 8. Pall. et ed. princ. *sit m. p.*

V. 9. Cum Camerario *quam* duabus syllabis pronunciandum censeo, ita ut Lindemanniana emendatione non egeamus. cf. prol. 38. *loquar.*

V. 10. *te* V. C., Pall., ed. princ., Lind. — vulg. *re.*

V. 12. *Si istis rebus te.* Ita V. C., Camerarius atque Gruterus. Ed. princ.: *Edepol ni illa furtivis rebus.*

V. 13. *Illa* de Iunone accipere, ut fecit Grut., multo difficilius et contortius mihi videtur quam de Alcumena, ut accepit Richterus, qui optime hunc locum ita interpretatur: me prodente si rescisceret Alcumena te falsum esse Amphitruonem, eo facerem, ut, ne adamatam perderes mulierem, verus Amphitruo esse malis quam falsus, i. e. homo quam deus.

V. 15. V. C. et Pall. tert. et quart. *lectus.* pr. et sec. *lecti ubi concub.*

V. 22. Vulg. *iam hoc*, contra versum. *Hoc iam* Lindem., Fleckeisen. l. l. p. 36.

V. 25. Vulg. *Clanculum abii a legione*, quod vitiosum est propter duplicem hiatum. Inserui *ego* cum Hermanno in censura diss. Kampm. de *ab* praep. usu Plaut., quae est in Iahnii et Klotzii novis annal. phil. XII, vol. 35, sect. 2.

V. 28. V. C. *palpo*, Pall. *palmo.*

V. 35. Pall. et vulg. *tempu'st.*

V. 36. *tibi* h. l. propter longam enunciationem praegressam repetitum est. cf. de hac repetitione ad prol. v. 1.

V. 39. *quali'st.* Similis apocope erat vocis *similis* I, 1, 291. 292.

V. 45. De recte explicanda formula *luciscit hoc iam* vid. Lindem. ad h. l. *Hoc* est δεικτικόν, nos dicimus: *da tagt's schon.*

V. 47. Cum Lindem. addidi *eo* post *adero.*

V. 48. V. C., Pall., Frising., ed. princ. habent *diei*, quod duabus syllabis pronunciandum, ut I, 1, 125.

V. 49. *mortalis.* Ita V. C.; Pall. et ed. princ. *mortalibus.*

V. 51. Pal. tert. tantum habet *luce clara et cand. Et dies è nocte accedat.* sext. *faciam ut aeque dispar et dies et nox accedat. Ed. princ.*

— *dispar*

Et dies et nox accedat. Vulg.:

ut aeque disparet,

Et dies e nocte accedat, quorum verborum sententia nulla est. Facillima emendatio est Richteri, quam secutus sum, hac sententia: Quemadmodum haec nox longior fuit praegressis noctibus, sic faciam ut etiam aeque dispar dies superiori diei (i. e. multo brevior eo) accedat ex hac nocte, h. e. hanc noctem sequatur.

ACTUS II. SCENA I.

V. 1. Pall. pr., quint., sext. *Age i tu secundus. sequor. SOS. subs. te.* sec. *Age i tu, Sosia. sequor. SOS. subsequor.* Sed postea deleta est vox *Sosia* et scriptum *secundus.* quart. initio habuit: *Age i tu secundus. SOS. subseq.* [et ita scriptum est etiam in ed. princ.], sed a manu secunda additum est: *secundus sequar.* Teste Grutero in codd. vetustissimis extat *Age i tu secundum. SOS. Sequor, subsequor te*, quemadmodum iam Camerarius in cod. suo scriptum esse testatus erat et scripsit etiam Gronovius.

V. 2. *nam* V. C. et omnes Pall. Pareus in ed. I. scripsit *Ah quamobrem.*

V. 4. V. C. *ecce rei am tu autem.* Pall. quinque: *ecce rem iam tu autem f.*, et sic etiam ed. princ. Pal. quintus: *ecce rem iam tu autem f.*, et sic etiam ed. princ. Pal. quintus: *ecce autem. Tuatim* ex Nonio et codd. Langg. scripserunt Grut., vulg., Lindem., quod significat *tuo more.*

V. 5. Vulg. *Facis, ut tuis nulla apud te sit fides.* Cum Lindem. scripsi *uti* pro *ut* et transposui vv. *sit fides.*

V. 7. *abscidam.* Ita V. C. et Pall. sec., tert., quint. Vulg. *abscindam.*

V. 8. *Commodumst.* V. C., excerpta codd., Pall. sex atque ed. princ. *commodum siet lubet.* V. C. *quidque*, Pall. *quidquid.*

V. 13. In vulg. hunc versum concludit v. *dabo*, quod cum Lindem. ad initium sequentis traximus.

V. 15. V. C. et Pall. quatt. *ludificari*, Pal. pr. et sec. *ludificarier.* Ed. princ. *Tum me — ludificarier*, sed V. C. et Pall. *Tun' me.*

V. 16. *Tun'.* ed. princ. *Tum id.*

V. 18. *simul* V. C. et Pall. omnes. Lips. et Pareus in ed. I: *simitu:*

V. 19. *res ita'st* V. C. et Pall. Ed. princ.: *loquor res ita est.* Vulgo: *ita res est.*

V. 21. *ludos facis.* Ita V. C. et Pal. quart. — Ed. princ. *ludificas.*

V. 22. *ita f.* Ita V. C., sed v. *ita* inter lineas apparet a manu recensoris. Pall. pr., sec. *res non ita facta est.* tert. *si non id factum est ita.* quint. *si non ita factum est.* Ed. princ.: *si id ita factum est.* Vulg. *si id ita factum est.*

V. 24. est paroemiacus sive anapaesticus dimeter catalecticus.

V. 25. Pall. excepto tertio a m. sec. *opta quae facta.*

A v. 25. sequuntur trochaici tetrametri acatalecti usque ad v. 30. In v. 25. est hiatus post *facta*, in v. 27. post *inquam.*

V. 27. *Ecquid.* Sic Pall. tert. et quint.; V. C., Pall. pr., sec. *Etquid.* quart. supra lin. *Et quicquid est.* sext. *Equidem audis.*

V. 29. V. C. et Pall. *Quid est neg.*, nisi quod Pal. quintus: *Quid istuc est neg.* Parva mutatione scripsi *quid istuc negoti est. Istuc* inseruerunt etiam, quamquam alio loco, Hermannus eumque sequens Lindem. Post *negoti* est hiatus. Possis etiam sine hiatu scribere *est negoti istuc.*

V. 30. *cur.* ed. princ. *quid.*

V. 31. *At ego f.* V. C. — Pal. pr. om. v. *ego.* Vulg. *At te ego*, sed *te* etiam ed. princ. omittit. Hiatus est post *Amphitruo*, qui excusationem habet a nomine proprio. Ab hoc versu incipiunt trochaici tetrametri catalectici. In v. 32, quoniam sequentia verba ita scripta sunt, ut nullo versuum genere ea possis complecti, post v. *miser* inserui *ut* (idem fecit Weisius, sed in longe alia versuum distributione), et ante *si* eieci v. *domum*, ut post *rediero* v. *iam.*

V. 33. *Sis.* ed. princ. *sic.*

V. 37. V. C., Pall., Lindem., Kampm. de *in* praep. p. 21. *in tergo*, pro quo Lambinus et Acidalius scripserunt *in tergum*.

V. 39. Pro *vera* V. C., Pall., ed. princ. *verba*.

V. 39. *vi*. Ita V. C. et a manu extranea pr., a quo initio abfuerat v. *vi*. sec., tert. *si is in verum v.*in tertio supra lin. scriptum est *contrà*. quart., sext. *si is in vero*.

V. 40. V. C., Pall., ed. princ. *potes*, in V. C. tamen ab eadem manu mutatum est in *putes*. Deinde *puta* V. C. et Nonius; Pall. sec. et quint. *putas*.

V. 41. Vulg. *Fieri? nunc uti tu hic sis* cett., sed V. C. habet *ut*. Lindem. sec. ed. princ. *Fieri, nunc ut tu hic sis*. Maxime probabiliter transposuit Bothius: *Fieri, nunc hic ut tu sis*, quem secutus sum.

V. 47. V. C. *quicq'*. Pall. *quidquid*. Ed. princ. *ut quicquam actum*.

V. 49. *lacti* V. C.; Pall. et Pyrckhaim. *lactis*. Codd. Langg. *Neque lacte lacti*, ut *lacte* sit nominativus.

Ibid. simile V. C.; Pall. *similis est*.

V. 57. Ed. princ. *iste qui sit iste*.

V. 69. Pall.: *Ibi forte, si istum vides quendam*, nisi quod sext. a manu aliena servet *Ibi forte si istum vidisti q*.

V. 70. Ad versum sustentandum cum Lindemanno addidi *mei*, quod plane est elidendum. cf. sc. 2, v. 150. *ea*.

V. 71. *te* abest a V. C. et omnibus Pall., etiam ab ed. princ.

V. 75. Pall. et ed. princ. *v. a. n. inquam illum nosces s*. S. et pr. ac sec. distinguunt ante *inquam*.

V. 79. *simitu*. Sic V. C. itemque Pal. tert., et uterque ad oram: *i. e. simul*, quod est in Pall. plerisque.

V. 80. pro *eveniant* V. C. habet *recte veniant*. Pall. et ed. princ. *recte veniant*. Pal. sec. *recta ven*.

ACTUS II. SCENA II.

Duos priores versus feci cum Lindemanno hexametros bacchiacos.

V. 4. Ed. princ. soloece *voluptati*. V. C. et Pall. *voluptatem*.

V. 5. V. C. *boni*, Pall. *doni*, quod tamen in quibusdam est emendatum.

V. 7. Vulg.: *dum viri mei mihi potestas videndi fuit*. Verum ordinem restituerunt Hermannus et Lindem.

V. 11. Cum Bothio hiatum statuo post *aegri*.

V. 12. Pro *quom* Pall. *quoniam*, quod tamen quinque exprimunt per compendium scribendi *qm*, (quod iterum est in duobus Pall. V, 2, 4.) ita ut etiam *quom* esse possit. Vulg. *quod*. Cum Pareo scripsi *quom*, quod cum ind. perf. et praes. iunctum apud Plautum et Terentium saepe habet significationem part. *quoniam*. cf. v. 50. 122. V, 2, 4. et libellum scholasticum *Fabiani de constructione part. quum pars I.* Regiomont. 1846. Ceterum V. C. habet *quam*, quae confusio vv. *quam* et *quom* in eodem codice iterum reperitur v. 37.

V. 13. *id solatio* V. C.; Pall. et ed. princ. *in sol. e.*

V. 14. est octameter bacchiacus, cuius generis versuum exempla habes apud Hermannum el. d. m. p. 304.

V. 16. V. C. ad oram *clueat*, intus *redeat*, quomodo etiam exhibent Pal. quint. et sext.

V. 17. *ducam*. ed. princ. *dicam*.

V. 22. *in se*. ed. princ. *in sese*.

V. 22. V. C. *pene'st;* Pall. *penes est*.

V. 26. *Inductu*. Ita V. C. et Pall. pr. ac sec. ceteri quatt. *ductu*.

V. 28. Ed. princ. *Qui me non expectatum rere*.

V. 31. Ed. princ. *id si*.

V. 32. Ed. princ. *recepit*.

V. 35. Ed. princ. *tibi nunc istuc*. Transposui cum Bothio.

V. 37. V. C. et Pall. et ed. princ. *quam*, in Pal. pr. additum est: *i. e. prius*, in quarto: *ante*. cf. adnot. ad v. 12. *Quom* scripserunt vulg., Lindem., Fleckeisenius l. l. p. 9. et 13. — Ed. princ. *illam — quam*.

V. 37. Pro *hei* cum V. C. iterum scripsi *ei*, ut I, 1, 170. II, 2, 174. V, 1, 57.

V. 38. Ed. princ. *commodum* omittit.

V. 42. *occepso* Nonius. V. C. et Pall. *occepto*, quattuor tamen ab alia manu *occepso*. Futurum exactum ad consecutionem temporum melius videtur.

V. 43. *alligabo*. Sic V. C. et Pall. praeter tert. et quint., qui *allegabo*, quam lectionem fateor melius mihi placere quam alteram *alligabo*, quam tamen non audeo mutare invito V. C. Etiam ed. princ. habet *alligabo*.

V. 44. Pall. excepto secundo et ed. princ. *facerem*. Cum

Lindemanno inserui *me*, quod facillime potuit excidere et quod metrum requirit.

V. 47. Pal. tert. et V. C. *verorum mificant*, quod valet *vero ru- mificant*. Pal. pr. a manu sec. *Theb. modo miro rumiferant*. sec. *Theb. vero miro mirific*. quart. *Theb. viro rumif*. sext. *Th. vero mirorum*.

V. 48. Pall. sec. et quint. *expectatus*.

V. 50. Ed. princ. *quum te pulchre*.

V. 53. Vulg. *Quasique*. V. C., Pall. atque ed. princ. *Quasi qui*.

V. 53 et 54 Muretus plane otiosos arbitratur, attamen extant in omnibus Pall.

V. 58. Ed. princ. *vos* omittit.

V. 66. *somniat* V. C. et a manu emendatrice Pal. quintus. reliqui Pall. et ed. princ. *somniet*.

V. 69. *numquam* V. C.; Pall. *nusquam*.

V. 71. *huic* non est in *huiic* mutandum, vid. Fleckeisen. l. l. p. 35. sq.

V. 72. *velis* una syllaba est pronunciandum extrita *e* littera cum Bothio. cf. prol. v. 104. *pater (p'ter)*. II, 2, 87. *tibi*. v. 102. *pedem*.

V. 74. Pall. et ed. princ. *obsequaris*.

Ibid. Pall. *At pol quin*, V. C. *et pol qui*, quam Gruterus tmesin accipit pro *atqui*. Sed pro *quin* scriptum est in V. C. *qui* etiam v. 145.

V. 75. Ed. princ. *adiurgare*.

V. 77. V. C., codd. Pall. et Langg.: *rogare*, *roga*. Meursius *quidvis roga*, *reroga*. *Rogare*, quod a metro excluditur, cum Camer. et Lind. omisi.

V. 79. Pal. quint. *mentem*; V. C. et Pall. quinque *mente*.

V. 79. *ex me*, quod non est in vulg., propter versum ex cod. Gu. II. recte addidit Lind.

V. 82. *domi* V. C. et Pall. Gruterus volebat *modò*. Ed princ. *domum*.

V. 85. *tetuli* V. C. Pal. quart. *retuli*. Alii Pall. et ed. princ. *detuli*.

V. 87. *tibi* cum Weisio est una syllaba pronunciandum, (cf. ad prol. v. 104), quare non opus est cum Lindemanno scribi *parturam*.

V. 90. *magnum malum* Pall. quatt.; pr. *mal. m.*, ut etiam V. C. Pal. sec. *malum annum.*

V. 91. Pal. pr.*amens* pro *omen*, sed postea id mutatum est. Ed. princ. *Ob istuc a me nominator capies.*

V. 92. *praegnati* V. C., Pal. sec., Lindem. Reliqui Pall. et vulg. *praegnanti.* V. *et* geminatur in V. C., at Pall. omiserunt alterum *et.*

V. 100. Pro *qui* Pareus in utraque ed. habet *quia* contra omnes libros.

V. 102. Sine causa sufficienti Lindem. et Kampm. de *in*, p. 22. transposuerunt *pedem meum*; ordinem vulg. recte retinuit Weisius docens *pedem* esse una syllaba pronunciandum. cf. ad prol. v. 104.

V. 103. *profectus* V. C. et Pall., codd. Langg. *prosecutus.*

V. 104. Post hunc versum olim nonnulli ex Nonio inserebant hunc: *Nihil te pudet, scelesta, populi in conspectum ingredi?* Sed testibus Par. et Grut. nec in V. C. nec in Pall. invenitur.

V. 105. Ed. princ. *non de hac quidem hercle re.*

V. 106. V. C. et Pall. *abIsti,* quod idem valere videtur atque *abiisti,* cf. ad prol. v. 92. Ed. princ. *abisti;* vulg. *abivisti*; Lind. et Fleckeisen. p. 42. *abiisti*, quod verum est.

V. 107. Pal. sec. vitiose *communit.*

V. 108. Non opus est cum Lindemanno inseri *te* post *es*, nam hiatus est post v. *experrecta* post secundam dipodiam tetrametri trochaici.

V. 109. *ture.* vid. Rost. comment. Plaut. p. 291.

V. 113. illi V. C. (cf. v. 130. 148.); Pall. quinque *illud ut f. pr.*, sec. *illud pr.* omissis *ut fuerit.* Ed. princ. *illic ut.*

v. 114. Cum Schneidero elem. II, p. 738. prima syllaba v. *quippe* est corripienda. cf. ad prol. v. 19.

V. 117. V. C. et aliquot Pall. *haec*. sec. *hoc.* quint. *à me n. hoc.* Iidem duo Pall. et ed. princ. *Audistin.* V. C. *AudivistiN.*

V. 121. *Audivistin'* V. C., iidem Pall. et ed. princ. *Audistin.* Eadem *illi* omittit.

V. 122. *quòm* V. C.; Pall. 1. 2. *quando*, reliqui *quoniam.*

V. 124. Pall. quinque *quin;* tert. *quid n.* V. C. *qui n.*

V. 124. Verba *ego vero — ipsi credis* desunt in Pall.; in V. C. ad marginem adscripta sunt.

V. 126. Ed. princ. *et* habet pro *haec.*

V. 127. *abisse*. cf. Fleckeisen. p. 45. sq. Ed. princ. *hodie* omittit.

V. 128. Ed. princ. habet *Ego* pro *Nego*, quod est in V. C., Pall., Langg., Frising.

V. 130. *illi*. cf. v. 113. 148.

V. 134. V. C. *demiror*. Pall. *admiror*.

V. 138. *Quid hoc sit hominis!* Eadem formula erat II, 1, 26. Vide de hoc loco Balbach. l. l. p. 16. sqq.

V. 139. Cum Lindem. ante *tu* addidi *I*.

V. 142. *etiam credis id* V. C. et Pall. teste Pareo, item ed. princ., non *id credis*, ut cum vulg. transponendum est versus causa. Ultima in v. *habet*, ut saepe, positione neglecta corripienda est. cf. ad prol. v. 19.

V. 143. Ed. princ. ἀμέτρως *ferunt* et versu praegresso *quam* pro *quae*.

Ibid. *Salvum signum est?* Gruterus ex Pall. et Ald. interrogandi signum apposuit, cum in V. C. nulla sit distinctio.

V. 145. V. C. *qui* (cf. ad v. 74). Pall. 1. et 2. *qm*, quod valet *quoniam* (cf. ad v. 12). in primo addidit aliquis *quid*.

V. 146. *opu'st* V. C.; Pall. *opus est*.

V. 147. Nonnulli verba *Em* — *eccam* perperam Thessalae ancillae tribuebant, quam tamen Pareo et Grutero testibus nullus scriptus codex agnoscit. Commemorat hunc locum, ubi de particulae *hem* significatione demonstrativa agit, Reinius in quaest. Plaut. p. 14. Lindem. scripsit *en*, qnod non omnino mihi displicet, cum iam prol. v. 120. ex V. C. lectionem *en eccum* restituerim, cui consociationi utique insolentiori hic noster locus exemplo esse potest, si verum est *en*.

V. 147. *cedò* V. C.; Pall. 1. 2. 6. *credo*.

V. 149. Pall. et ed. princ. *illic*. cf. v. 113. 130.

V. 150. Retinui cum Weisio vulgatum: *haec ea est*, ubi v. *ea* est elidendum. cf. sc. 1, v. 70. *mei*. Transposuerunt Lindem. et Fleckeisen. l. l. p. 13: *Haec ea profecto est*.

V. 153. Gruterus post *obsignata'st* gravius distinguit.

V. 156. V. C. *vides si signi*. *si signi* est etiam in Pall. 1, 2. et a m. prima 3.

V. 157. *conferas* V. C. et Pall. — Ed. princ. *transferas*.

V. 160. *pro Iuppiter* V. C. et Pal. quart., reliqui quinque *pro* omittunt.

V. 162. *nisi* V. C., Pall., ed. princ. Vulg. *ni*. Lindem. scribens *nisi* omisit v. *iam*, quod Weisius retinuit *nisi* una syllaba pronunciandum dicens, quem sequor. cf. ad prol. v. 104.

V. 165. *Praecucurristi*. Sic ed. princ., Lind., Kampm. de *ab*, p. 2. Vulg. *praecurristi*.

V. 166. *rursùm* V. C., Pall., ed. princ. Vulg. et Lind. *rursus*. *Rursum*, quod efficit hiatum legitimum, defendit etiam Heineckius l. l. p. 614.

V. 168. *advenisse*. ed. princ. *venisse*.

V. 169. *et osculum tetuli tibi*. Hae quattuor voces absunt a Pall. 1. et 2, extant autem in V. C. — Pal. 3. *tulit ibi*.

V. 170. *illuc*. Sic V. C., Pall. 1, 2, 6. — Vulg. et Lindem. *illud*.

Ib. pergam V. C. et Pall. Muretus volebat *perge*.

V. 174. *Ei* V. C., Pall. quart., ed. princ. ceteri Pall. *Hei*. cf. I, 1, 170. II, 2, 37. V, 1, 57.

V. 176. cf. de hoc loco Fleckeisen. l. l. p. 27. V. C. et Pall. *abImus*, quod idem valet atque *abiïmus*. cf. ad v. 106. et ad prol. v. 92. Ed. princ. *abimus*. Pall. 3. et 4. *cubatum* pro *cubitum*.

V. 180. *hic* refero cum Weisio ad *additum*.

V. 181. *Te* cum Pall. recte scripserunt Gron. et Lindem., quoniam *d* paragogico h. l. non indigemus, quum hiatus sit legitimus.

V. 182. *Vir ego* V. C.; Pall. 1. 2. *Ego vir tuus sum*.

Ib. falso falso V. C., Pall. sex. et ed. princ. *app. falso nom*.

V. 183. *haec* V. C., Pall. 1, 2, 4, 6. et a prima manu 3, nam superpositum est *hic iam*, quomodo etiam in quinto scriptum est.

V. 187. *Tun'* V. C. et Pall. quinque; quintus *Tu*.

V. 190. Vulg. *pudicitiae*. *Pudicitiai* iam proposuerat scribendum Gruterus, quem secutus est Lindem. cf. prol. v. 134. I, 1, 216. 145. Deinde vulg. *non potes capere*. Transposuerunt Muretus et Lindem.

V. 192. Ed. princ. *coenavi ego*.

V. 194. 195. Vide de his versibus, qui absunt a Pall., Gruter. ad h. l. et Ritschelium in dissert. über die Kritik des Plautus in mus. Rhen. IV. (anni 1836), p. 203. Primum a Baptista Pio ex Nonio non quidem in verba poetae recepti, sed tamen in commentario ad h. l. commemorati sunt. De *tribus* versibus loquitur Pius eumque secutus Pareus, quos debebant duos dicere, quoniam tertius non pertinet ad Amphitruonem.

V. 196. *nisi si* V. C. et Pall. 3, 5, 6. vulg. *nisi*, om. *si*. cf. ad III, 2, 26.

V. 199. Teste Grutero *mirum nimis est* omnes codd., teste Pareo Pall. 1, 2, 5. *nimis mirum est*. Muretus *mirum est minus*.

V. 200. Hic versus abest a codd. Langg. Pro *istoc*, quod est in V. C., ed. princ. habet *hoc*.

V. 207. *Es*. secunda persona verbi *sum* secundum Schneiderum elem. II, p. 757. apud Plautum etiamtum producitur.

V. 208. De prosodia v. *proterve* vid. Schneid. elem. II, p. 578.

V. 209. Codd. fere, item edd. vett., ut princ., *in verbis probas*.

V. 213. *ut* abest a Pall. 1, 5, 6, in V. C. autem extat.

V. 215. V. C. prius *deliratus*, deinde a manu recensoris *delinitus*. Pal. pr. et sec. a prima manu et a secunda quartus *Deliratus*. *Delinitus* edd. vett., ut princ., Grut., *delenitus* vulg., Lindem.

V. 225. *abducam* V. C. et Pal. 6. et ed. princ.; Pall. 4, 5 *adducam*, reliqui omnes *ducam*.

ACTUS III. SCENA I.

V. 1. *cui* V. C.; Pall. *cuius*.

V. 2. *fit* V. C. et Pal. sextus; reliqui Pall. *sit*.

V. 3. De hiatu qui est in *qui habito* v. Schneid. elem. I, p. 143.

V. 5. V. C., Pall. 4, 5, 6. *quo ext*. 1, 2, 3. *quo exemplo*.

V. 8. De scribendi ratione *comediam*, quae est in V. C., vid. Schneid. elem. I, p. 82.

ACTUS III. SCENA II.

V. 3. V. C. *f. infectare est at cl*. Pall. 1. et 5. *infecta ve acclamitat*. 2: *infecta ve acclamitat*. 3: *in tecta ve accl*. 4: *infecta re accl*. 6: *infectane accl*. Scripsi hunc locum ex coniectura Lindemanni, attamen libenter scriberem *acclamitat* propius ad V. C., si modo hoc verbum in usu fuisse certo scirem.

V. 8. Retinui cum Bothio vulgatam, nisi quod cum eo *mi* scripsi pro vulg. *mihi*. *Aut satis* — efficiunt dactylum, cf. ad prol. v. 19, *faciat* per synizesin duabus syllabis est pronunciandum.

V. 12. V. C. et Pall. et vulg. *factum id*. Retinui in hoc loco difficili vulgatam nec scripsi cum Lind. v. 13. *illi* pro *ille*, nec v. 14. *sonti mihi* pro *insonti m.*, nec v. 15. *hunc* (sic etiam Kampm. de *in*, p. 38.) pro *hanc*. Sententia est: Mihi faciendum est illud, quod Alcumena fieri postulat, si sperare volo me, quem putat Amphitruonem esse (sic recte Schmiederus), amantem ab ea iterum

receptum iri (alioquin enim, si hoc non fecero, haec spes ad irritum cadet). Etenim quum hoc quod feci, h. e. quod Alcumenam absente Amphitruone amavi, huic (Amphitruoni) insonti iam multa negotia exhibuerit, multos animi dolores procreaverit, ille ira et maledictis uxorem suam prosecutus est, quibus illa offensa, quoniam me putat Amphitruonem esse, me odio prosequetur (mihi illius ira in hanc expetent), quamquam ego huius irae horumque maledictorum insons sum, quoniam non ego, sed ipse Amphitruo ea protulit. Ergo, quamquam hac in re insons sum, tamen memet ipsum illi purgare mihi studendum est et iurandum me nolle ea a me dicta esse quae dixerim.

V. 22. Lambin. ex coniectura pro *verecunda* scripsit *iracunda*, quod est etiam in cod. Guelf. I, sed vulgatam veram esse docent verba Alcumenae sequentia: *potin'* cett., ex quibus sequitur a Iove eam contrectatam esse. cf. etiam Lindem. ad v. 45. Ceterum noster versus talis est, quales Hermannus improbat; sequitur enim dactylum anapaestus. Concedendum est Hermanno, duros et non optime sonantes tales versus esse, sed anteaquam omnes Plauti comoediae ad optimorum codicum amussim constitutae erunt, dubitare licet num nunquam Plautus tales versus sibi indulserit et tutissimum erit usque eo lectionem vulgatam ex bonae notae codicibus ortam retinere. Etiam Beckerus dubitat l. l. p. 10. dicens: video enim corrigenda esse permulta. Hermanni regula nititur praecepto, quod sequitur, versus iambicos secundum dipodias trochaicas metiendos esse; sed si hoc non ita est, sed potius per sui generis dipodias unusquisque versus metiendus est, ut iambicus per iambicas, trochaicus per trochaicas, ne causa quidem est cur versus tales, de qualibus loquimur, improbandi sint. cf. III, 4, 9, ubi tribrachyn sequitur anapaestus.

V. 24. *arbitrere* V. C. et Pall. praeter 1. et 2, ubi est *arbitrare et praedicas*. Male vulg. *arbitrare et praedices*.

V. 25. Pal. 3. *cum fatus*. 5. *conficto*. 6. *cum fatua*.

V. 26. *nisi si* V. C.; Pall. et vulg. *si* omittunt. cf. ad II, 2, 196. Synizesis est aut in *habeas* aut in *stultior*.

V. 27. *ego* est in V. C. et omn. Pall. Vulg. omittit.

V. 28. Ed. princ. *ut me purg.*, quam sequitur Lindem. Heineckius l. l. p. 614. refert codd. et vett. edd. habere *ut*, quare scripsit: *med ut purg.*

V. 30. *audivi* Pall.; V. C. *audivit*.

V. 33. Ed. princ. *sum animum.*

V. 36. De correptione vocis *hunc* vid. Schneid. elem. II, p. 718. et ad prol. v. 19.

V. 41. *Illum* (int. iocum) retinui ex V. C. et Pall. 3. et 4. a m. prima. Ceteri Pall., vulg., recentiores omnes *illud.*

V. 48. In vulg. post *comitem* deest *mihi*, quod add. ed. princ., Pareus, Lindem., quamquam hic aliter versum scribit.

V. 54. *confido.* Sic recte cum ed. princ. recentiores pro vitioso *confide*, quod habet vulg.

V. 57. *huiusmodi.* vid. Schneid. elem. I, p. 88.

V. 60. Post *huiusmodi* distinguit vulg., post *Inter eos* Pal. 1. et 4.

V. 66. *Ut* initio huius versus delevit Lindem. et v. seq. post v. *ego* posuit, quod non opus est, quoniam post v. *exsolvam* hiatus est legitimus. Fleckeisenius l. l. p. 49. utroque loco posuit *ut.*

V. 71. Vulg. omittit *dolis*, quod in nullo Pal. extat quodque addidit I. Gul. Lindem. *ludo ludificabitur.* Hermannus coniecit *hodie ludificabitur.* Sed in V. C. est lacuna post *ludificabitur.*

ACTUS III. SCENA III.

V. 2. *quaeso* in nullo Pall. est, sed primum additum a Camerario, deinde a Pareo, Taubm., Lamb., Douza, Lindemanno. Vulg. om. Taubmannus coniiciebat scribendum esse *optimo optime adv.* cf. I, 1, 127. Fortasse scribi potest: *iam pax est inter vos iterum duos; iterum* simile est v. *inter* et facile excidere poterat.

V. 5. *ipse item* Pall.; V. C. *ἀμέτρως item ipse.*

V. 6. V. C. *si Eri sint.* Pal. 1. *Tristis sit. tristes si fuerint.* 4, 5, 6. *tristis sit, fuerint si tristes.*

V. 8. V. C., Pall. 3, 4, 5, 6. *haec iamdudum me dixisse.* pr. *me* omittit. sec. *hoc iam dix.*, om. *dudum.* Cum Camerario retineo lectionem V. C. integram, ita ut *dixe* pronunciandum sit.

V. 9. Cum Lindem. *id* corripiendum censeo. Schneiderus elem. I, p. 287. transponi vult: *An ioco id dixisti* sive *dixisti id.*

V. 10. Cum Lindem. initio huius versus *At* addidi, quod in vulg. omittitur.

V. 13. Cum Lindem. pro *ut* scripsi *is uti.*

V. 14. V. C. initio *censen.* postea a manu recensoris *censebis.*

V. 15. V. C. *opus.* Pall. *opus est.*

V. 16. Teste Grut. V. C.: *q. potest parata facta sint*, erasa postea litt. *t*. Pall. et ed. princ. *potes*, eadem editio etiam *facta*.

V. 17. V. C. *venis*, Pall. *veni*. Post hunc versum edd. Ald. et Brix. inserunt e Nonio p. 105. versum hunc: *Quando istaec omnia exiurasti te mihi dixe per iocum*, qui tamen abest a Pall.

V. 18. Pro *proinde* sine idonea causa Lindemannus scripsit *perinde;* nam quod discrimen facit, ut *proinde* significet *pro ea ratione*, *pro eo modulo*, *perinde* autem sit: *plane eo modo ut*, si verum esset, tale est, ut multis locis (sic nostro) non multum differat utrum scribatur. Verius tamen est id discrimen, quod Handius in Tursellino posuit, *perinde* plane idem esse ac *proinde*, sed significatione graviore quasi et aucta. cf. prol. v. 63: *proinde ut* dixi. I, 3, 19 est *proinde ut* praegresso *sic*, ad q. l. vid. Lindem. II, 1, 8: *Proinde ut* commodumst. v. 31: *proinde ac* meritus es. 2, 53: *proinde — quasi*. III, 3, 5: *Proinde* heri *ut* sint. v. 27: *proinde — ut* velle me intelligis.

V. 21. *huc fac* V. C., Pall., ed. princ. — Vulg. *fac huc*. Sine causa Lindem. intrusit *iam* post *divine*. Est enim post *divine* hiatus legitimus in fine primae dipodiae trochaicae senarii iambici.

V. 22. *tametsi* V. C. et omnes Pall. Lambinus testatur in codd. suis reperiri *tamenetsi*.

V. 24. Nolui cum Lindem. extrudere *fac*, quoniam est in V. C., quare initio versus eieci *ut*, quo optime carere possumus, nisi forte retinendum et *quovis* una syllaba pronunciandum est. cf. prol. v. 90. *Iovem* et ad h. l. exempla similia collecta.

V. 26. *nunc* V. C.; Pall. 5. omittunt, etiam Pal. 3, qui tamen prius habuit: *uxorem nunc mihi*.

V. 27. V. C., Pall., Grut., Gron. *me velle*. Ed. princ. *velle me*, quam secutus est Lindem.

V. 28. V. C. sec. Par. *cum mihi sacr*.

ACTUS III. SCENA IV.

V. 2. *Nunc*, quod Lindem. recepit, Pareo teste nec in V. C. nec in ullo Pal. reperitur. Pal. quart. initio *fuit*, postea *fuat*, et additum est supra lin. *sit*. 6. *fuerat*. Teste Grut. cod. Cam. *Nec quisquam tam audax fuat homo*.

V. 5. *Aut*, quod nonnulli inserunt post *Ille*, teste Pareo in nullo cod. Pal. reperitur.

Ib. Pro *irati* volebat Acidalius *ingrati*, illud tamen est in V.

C. et Pall. Commemorat hunc versum Hermannus elem. d. m. p. 160. et epit. ed. II, p. 65.

V. 7. V. C., Pall., ed. princ., Lindem. *mihi*, vulg. *mi*.

V. 9. Lind. scripsit *item* pro *itidem*, Hermanni praecepto obsecutus, ne quattuor syllabae breves in uno trochaeo convenirent. Sed cf. ad III, 2, 22.

V. 15. *deludetur* omn. Pall., pro quo Cam. et. Lamb. *deludatur*. Pro vulg. *spectantibus* cum Lindem. sec. cod. Guelf. I. scripsi *aspectantibus*.

V. 17. *escendero* V. C.; Pall. *adscendero*. Ed. princ. *ascendero*.

Ib. V. C. *scis pellam*. Pall. 4. et 5. a prima manu *opt. cisp. v.*, a secunda vero pr. et ceteri omnes *expellam*. Camerarius *optume sic cispellam*. Vulgo *opt. cispellam*. Codd. Guelf. II. et Monac. *aspellam*. Scripsi de coniectura facillima: *sic aspellam*, quod V. C. lectioni *scis pellam* admodum simile est. *optume* ut anapaestus pronunciandum est. cf. ad prol. v. 19.

V. 20. *id* abest a V. C. et omn. Pall. pr. et tert. *quid est mea*, quod in quarto ponitur ut interpretamentum.

V. 21. *esse*, quod non est in vulg., primus inseruit Hermannus, quem secuti sunt editores recentiores.

V. 24. *potius* Pall. septem omnes testibus Par. et Gruter. et ed. princ. Vulg. et recentiores *potis*.

V. 25. *susum* V. C.; Pall. *sursum*. V. C. et ed. princ. *Deinde* pro *Dein*.

ACTUS IV. SCENA I.

V. 3. Camer. *et* omisit, quod tamen est in omn. Pall.

V. 4. *Atque*, quod ante *in pal.* inserunt editores, quod sciam, omnes, abest a V. C. et Pall., quare omisi.

V. 7. *domum ibo* V. C. et Pall. — Cam., Parm., Lamb. *ibo domum*.

V. 10. *Eugepae!* V. C.; Pall. *Euge*.

ACTUS IV. SCENA II.

V. 6. V. C. *pene effregistis*.

V. 12. Pall. *quia senectâ aetate*. Post *senecta* inseruit *in* Camer. Subditicia accurate sec. editionem Aldinam descripsi.

ACTUS IV. SCENA III.

V. 1. Cum V. C. et Pareo scripsi *parcite*, pro quo Pall. et reliqui editores omnes *partite*, fortasse recte, nam ad sententiam quidem videtur aptius.

V. 4. *opus* V. C.; Pall. *opu'st*. Deinde vitiose V. C. et Langg. *quin*, vid. Lindem. ad h. l. Pall. recte *qui*. I. Gulielmius volebat scribere *quine*, quod falsum est.

Post v. 4. nonnulli ex Nonio inseruerunt hunc: *Qui nequeo vostrorum uter sit Amphitruo, decernere*, qui tamen in nullo cod. extat.

V. 5. Vulg. *ego* omittit. Sed habent ed. princ., Camer., Lindem., Fleckeisen. l. l. p. 13, alii.

V. 6. Camerarius post *iam* inseruit *omnes*, quod in nullo Pall. extat. Cum Grutero scripsi *Quid ego ago*. Pall. 5. et 6. et vulg. *Quid ego*. Ed. princ. *Quid ago*. Hiatus est post primam dipodiam versus trochaici in voce *quem*.

V. 7. V. C. vitiose *ludificaVit*. Pall. *ludificabit*. Etiam ed. princ. *ludificavit*.

V. 8. *est*, quod habent V. C. et Pall., a Camerario omissum est. Vulg. *me ducam*, sed *me* abieci cum Weisio.

V. 12. De significatione vocis *alter* vid. Lingium l. l. p. 57, adnot. x.

V. 14. Hic et v. 18. V. C. et Pall. vitiose *aedibus*, pro quo utrobique Lindem. et Kampm. de *in* p. 21. recte scripserunt *aedis*.

V. 15. *sive uxorem sive adulterum*. Schneiderus elem. I, p. 137, Lindem., Fleckeisen. p. 28. correxerunt *seu*, ut Lindem. etiam v. 16. *seu avum* pro *sive avom* scripsit. Sed retinui cum Weisio omnibus tribus locis *sive*, quod una syllaba pronunciandum et elidendum est. cf. prol. v. 69. 90. et ad h. l. exempla quae collegi similia.

V. 18. *in aedis*. cf. ad v. 14.

ACTUS V. SCENA I.

V. 1. *Spes* V. C.; Pall. et prima ed. Ven. vitiose *DAPES*.

V. 2. Ed. princ., Lindem., Kampm. de *in* p. 3. recte omittunt *meo*, quod est in vulg.

V. 9. *Hodie* Pareus falso omittit, quum teste Grutero reperiatur in codd. et in edd.

V. 10. *tonuit* V. C. et Pall., pro quo *tonit* malebant Lambinus et Camerar.

V. 11. Lindem. omittit *crepitu*. Sed cum Kampm. de *ab* p. 20. adnot. retinui.

V. 12. Vulg. et Lindem. *sic* omittunt, quod in omnibus Pall. reperitur.

V. 15. *confulgebant* V. C. et Pall. Cam. coniecit *confulserant*.

V. 16. *iam* V. C., Pall. atque Nonius. Lamb. *tum*.

V. 17. *ocius* cum ed. princ. et Lindem. omisi, quamquam est in Pall. 2. 3. 4. 5. et a m. prima sexto.

V. 17. *sciscam* V. C. et Pall. — Nonius p. 362. *sciam*.

V. 19. *providimus* V. C. et Pall. quinque. Pal. quintus et vulg. *praev*.

V. 23. *cognoscam* Pall.; V. C. *cognosco*.

V. 25. *timeo* V. C.; Pall. *tremo*.

V. 26. Cum Lindem. et Fleckeisenio p. 35. restitui lectionem V. C. *quasi si* pro eo, quod est in Pall. et vulg.: *quam si*, quod retinuit Kampm. de *ab* p. 2.

V. 27. Pal. quintus ante *timidus* addit *male*, quod non est in V. C. et reliquis Pall.

V. 29. In nomine proprio *Amphitruo* est hiatus.

V. 30. Vulg. *viden'*, pro quo ed. princ. et Lindem. recte *vide*.

V. 31. V. C. *saccam m.* a Pall. omn. abest v. *mentem*, et omnes habent teste Grutero *sarcam* (supra quod voc. in sexto scriptum est: h. e. carnem). Turneb. et Scioppius volebant *sagam*. Camerarius coniiciebat *siccam*. Praetuli *sartam* alteri lectioni, quae vulgata est, *sanam*, quamquam statim v. seq. *sani* sequitur, nam hoc non cogit etiam in nostro versu idem vocabulum esse, modo eiusdem significationis sit. *Sartam* autem propius ad lectionem V. C. *saccam* et omnium Pall. *sarcam* videtur accedere quam *sanam*. V. C. et Pal. 1. supra lin. habent *mearum famil.*, Pal. 4: *meam f.* 1. 2. 3. 6: *mea famil.*

V. 33. *ut*, quod Camer. omittit, est in omn. Pall.

V. 36. *primum* Pall. Camer. *primo*. Parm. et Gryph. *primum*, addito *tibi*.

V. 37. *servant* Pall., cod. Sur. *servent*.

V. 40. *Ibi* V. C., Pall. *ubi*.

V. 45. Vulg. *exemplo*. Ed. princ., Ald., Par., Grut., Lindem. *extemplo*.

V. 46 et 67. V. C. vitiose *sit* pro *fit*.

V. 49. Pall. et vulg. *merita est*, Camer. *est merita*. Idem *Istaec mitte*, Pall. *mitte istaec*. Versus est, ut sequens, tetrameter iambicus.

V. 50. Pal. tert., Nonius, vulg., Lindem. *lavere;* V. C., ceteri Pall., ed. princ. *lavare*.

V. 52. *incunabulis* una voce scriptum est in V. C., Pall. duabus vocibus *in cun*.

V. 55. Solus Lindem. *in cunis*. Ceteri, etiam Kampm. de *in*, p. 29. cum vulg. *in cunas*.

V. 57. De hiatu in *capita* vid. Herm. elem. d. m. p. 190. et Schneid. elem. I, p. 152. V. C. et Langg. *ei*, editores *hei*. Sed *ei* est in V. C. etiam I, 1, 170. (ad q. l. vid. adnot.), II, 2, 37. 174.

V. 58. De *pare* ultima producta vid. Ling. p. 35. adnot.

V. 60. Pro *recessim* V. C. et Pall. habent *recessum*. Pal. 3. ad oram pro *rursum* habet *sursum*. Meursius coniiciebat *prorsum* pro *rorsum*, contra codd.

V. 64. Pal. 1. *postquam angues ille alter puer vidit, timuit. Alter alter apprehendit eos perniciter*, om. *manu*. *Citus è c.* sec. *postq. ang. i. a. p. conspexit, appreh. eos pern. citus è c.* 3. 4. 6. *Postquam consp. a. i. alt. p. Alterum alter appr. eos pern. cit. è c. exs.* 5. *Alterum alterum appreh. eos pern. citus è cun.* V. C. *Alt. alter apreh.*

V. 68. *exclamat* V. C. et Pall. Douza couiiciebat *inclamat*.

V. 72. V. C. *tuum esse*, Pall. et ed. princ. *esse tuum*.

V. 73. V. C. *Si licet*, quem recte secutus est Lindemannus. Edd. vett., Pall. excepto secundo, Passeratius, vulg. *Scilicet*.

V. 74. De *abi* et *iube* vide Ling. p. 34. sq. adnot. o.

ACTUS V. SCENA II.

V. 4. V. C. *quomsum* (cf. ad II, 2, 12). Pall. 1, 2, 5, 6. *qui sum*. 3. et 4. *qm*, quod compendium scribendi iam habuimus in Pall. II, 2, 12. Ed. princ. *quum sum*. Vulg. *quum sim*.

ACTUS V. SCENA III.

V. 2. V. C. et Pall. quinque *facio (fatio)*. Pal. quintus *faciam*.

V. 3. V. C. *clara*.



LIPSIAE, TYPIS CAROLI TAUCHNITII.



